

FRANCISCI TORRENSIS,  
ANTAPOLOGETICVS

*pro libro suo de Residentia Pastorum iure  
diuino scripto sancita, ad Reuerendis-  
simum Dominum  
IOANNEM SALVIATVM,  
Episcopum Cardinalem.*

FLORENTIAE.

7 480 40

BETA

MADE

FRANCISCI, TORRENSIS,  
ANTAPOLOGETICVS

*pro libro suo de Residentia Pastorum iure  
diuino scripto sancita, ad Reuerendis-  
simum Dominum*

IOANNEM SALVIATVM,  
*Episcopum Cardinalem.*

FLORENTIAE.

FRANCISCI, TORRENSIS, AN-  
 tapologeticus pro libro suo de Residentia Pastorum, iu-  
 re diuino scripto sancita, ad Reuerendissimum  
 Dominum IOANNEM, SALVIATVM,  
 Episcopum Cardinalem.



**L**IBRVM de Residentia pastorum  
 iure Diuino scripto sancita, pri-  
 dem in publicum emisi, quem ti-  
 bi SALVIATE, vt meministi, di-  
 caui, in quo & sententiam meam  
 perscripseram, & cuiusdam senio-  
 ris, ac docti viri, qui ante me scri-  
 pserat, tum de eadem re senten-  
 tiam, tum multa alia vno eius libel-  
 lo comprehensa, reprehederam,  
 & confutaram, tam honesta tamē oratione, vt nullum graue  
 verbum in eo legeretur, quod non contradicētium honesta,  
 & familiaris consuetudo ferre posset, & ratio, atque vtilitas  
 legentium postulare videretur, vt Falsa est hæc sententia, ac  
 scandali plena. Errat. Profana nouitas verborum est hæc. Et  
 ad hæresem Ptolemæi hoc pertinet. Imo laudabam eum, quod  
 multa alia docte scripserat, vt sic ad sententiam istam suam  
 damnandam fortasse laudatiuicula huius dulcedine facilius  
 eum adducerem, proposito etiam sanctissimo retractationū  
 patris Augustini exemplo, tum Leonis magni de suis cuique  
 damnandis erroribus commemorata sententia, deinde pre-  
 cibus, & obtestatione adhibitis. Ille vero non contentus, &  
 sua defendere, & mea improbare, quod satis esse debebat,  
 breuibus spatiis, ueluti respiratione sumpta, in me omnibus  
 conutiis, & contumeliis armatus, tametsi non nominatim,  
 irruit, sui, & propositæ rei oblitus, ac illius Apostolici præce-  
 pti immemor. Omnis, inquit, sermo malus ex ore uestro non  
 procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei. Ego ue-  
 ro, si quidē Dominus permiserit, refrēnabo linguam meam,  
 ne iuxta Iacobi fratris Domini sententiam, si non refrēnaue-  
 ro, religio mea uana sit. Ac quia, ut in prouerbiis scriptū est,

in manibus linguæ est uita, & mors, dicam cum Dauid, quod est sicut Scriptura testatur, in uetere prouerbio, Manus mea non sit super eum. Imo addam cum eodem Dauid, Sinite maledicat, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & red dat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. Hæc est. n. gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, pa tiens iniuste. Quæ est enim gratia, si peccâtes, & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. Similiter dici possit, si bene, ac pro uerita te scribentes, probra, & conuitia, ac maledicta sustineamus non reddentes malum pro malo, sed benedicentes maledicē tibus nobis, hæc est gratia apud Christum Dominū, qui pas sus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius, qui peccatum non fecit, neque inuentus est do lus in ore eius, qui cum malediceretur, non maledicebat, cū pateretur, non comminabatur. Dimittat ergo mihi Pater no ster, qui in cœlis est, debita mea, sicut ego dimitto illi meo debitori, qui tantopere laborasse videtur, ut me omni hono re, & existimatione, si quæ erat, spoliaret, & rursus omni de decore, inuidia, & odio inuolueret, qui confitetur os meum ictu grauiore percussisse, ut me a latratu, ut ipse ait, cohibe ret. Equidem neque latrabo, neque mordebo, non quia os fregerit, sed quia metuebam, Sicut ex Paulo didici, ne si inui cem morderem, & comederem, ab inuicem consumeremur, id est, non solum vterque nostrum maledicendo, & cōuitian do periret, sed esset causa, ut alter periret prouocatus, atque ita quod est in Apocalypse beati Ioānis obscurius scriptum, in nobis declararemus, Commandauerunt, inquit, linguas suas, & blasphemauerunt, philosophiam Christianam uertē tes in profanam satyram, & amara, ac iocularia fecennina. Quare omnibus maledictis, ac probris remotis, ita ueritatis patrocinium iterum suscipiam, ut, si perficere potero, intelli gant ii præsertim, ad quos huius causæ iudiciū pertinet, me, nisi fallor, bene fuisse locutum, & illum fortasse male, ex quo rursus intelligant, nullam extitisse causam, cur me cederet. Neque uero quod dico fortassis, etsi perficere potero, diffi dentia & dubitationis verba sunt, sed modestia, ut hoc quo

que obiter caueam. Quia uero sæpe mihi utendum erit hi s verbis, ait, inquit, propositum uero est non illum suo nomi ne appellare, etsi de nominis mei vituperatione Vitupera o rem, siue Conuitiatorem meum appellare poteram, quia ti men gloriolior, si hoc patitur, de probris, quæ pro ædificatione fratrum, & Ecclesiasticorum dogmatum defensione, licet ne get, ab eo tuli, non Cōuitiatorem, aut Vituperatorem meum sed Laudatorem uocabo, utinam Correctorem etiam meum, vocare possem, profecto gratias egissem, sicuti in extrema parte libri mei, cum ad retractationem, eum hortans, perora rem, his uerbis promiseram, quæ iterum repetam, idem iterū promittens, scilicet, Si quid hic, aut ubi cūque alias, & a quo cunque errasse admonebor, habiturum me illi maximas gra tias. Quod uero me Laudator meus reprehensorem suum ap pellat, cum honestius appellat, uerius profecto obsecratorem suum appellasset. quia. n. ab Apostolo didiceram, Seniores cum omni reuerentia tanquam patrem obsecra, ego illū his uerbis in eadem peroratione obsecraram. Eos uero, qui hæc aliquando tradiderunt, ac docuerunt, obsecremus cum om ni reuerentia, & obtestemur, ut meminerint, quod supra dixi scriptum a Leone magno, tunc optime ueritatē defendi, cum opinio falsa a suis auctoribus damnaretur. Respondebo ita que ordine ad omnia libelli eius, præterquam ad cōuitia, & probra, de quibus hoc tantū dicam, mirari me, si librum suū ab honestis uiris legi uolebat, cur nō honestarum aurium ra tionem habuerit, quæ quidem cum orchestræ, & Thymelæ assuetæ non sint, neque in scena ueteris comœdiæ exercita ræ, ferre non possunt tot scommata, & conuitia, imo uix le cto principio, librum proiiciunt, ut iam fecisse quosdam au dio. Appellet me ergo nouitium, imperitum, indoctum, mi serandum hominem, stultum, arrogantem, furiosum, & quic quid aliud ei libeat, sit ipse senex, eruditus, homo beatus, sa piens, modestus, cordatus, & si ita uult, scripserit multa præ clare, dicam quod Apostolus Corinthiis, iam saturatus est? iam diues factus est? non hæc dico, quo illum cōfundam, sed ut tanquam patrem obsecrem, & tanquam præceptorem ad moneam, ne nouitiem meam, ut ita dicam, neue hanc stulti-

tiam, ac imperitiam contemnat. neque deinceps iniuriam putet, si quis contradicat. Semper. n. in Ecclesiasticis, & licebit, eos, qui sanæ doctrinæ contradicere putantur, redarguere, & eis in faciē resistere, id est, publice, imo dicere anathema, si vel Paulus aliquid, aut Angelus de cælo, præterquam quod euangelizatum est, tradiderit, & qui hoc non vult, aut non patitur, tyrannus esse, & fidei dominari vult. Vnusquisque autem videat quomodo, & quid redarguat, & quid anathematizandum putet. Scriptum est, prophetæ duo, aut tres dicant. cæteri diiudicent, & nos iam duo, aut tres de Residentia pastorum scripsimus, superest, ut cæteri diiudicent, & ii in primis, qui huic iudicio præsumunt, qui iudicium Dei, id est, in veritate iudicabunt, personam hominis non accipientes. Quos obtestor per iudicium illud extremum, quando iuxta Apocalypsem beati Ioannis, a pertis libris, mortui iudicabuntur ex iis, quæ erunt scripta in libris, secundum opera eorum, ut quæ in nostris de Residentia Episcoporum libris scripta sunt, iudicentur, ut quæ a sanis Domini nostri Iesu Christi sermonibus, & ab ea, quæ secundum pietatem est, doctrina, & fideli illo secundum doctrinam sermone aliena esse videbuntur, ea damnent, & eiiciant, ne modico fermento tota massa corrumpatur. Quorum sancto, & incorrupto iudicio, qui non acquieuerit, superbus erit, nihil, sicut scriptum est, sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemix, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt. Ut autem inde incipiã, unde ille amarum illum suum Apologeticum incipiendū, & perorandum esse putauit, Quod librum meum ait, ab iis qui probandi libros curam habent, reiectum fuisse, & rursus in extremo libri sui, Mirari eos, quicumque permiserunt, ædi in publicum tam crassos errores, præsertim, inquit, si sciebant, hoc illi Romæ non licuisse, sed tulisse repulsam, Sæpe cogitaram, nihil ad hoc respondere, quod tum ille, tum tabernæ ipsæ librarix fati refellerent. Etenim si liber meus propter errores crassos, ut ait, reiectus fuit, cur non de iis querebatur, qui eos errores vendere, & mercari Romæ permitterent, quos in pu-

blicum emittere non permisissent? Deinde quis crederet, licere venale esse Romæ, quod Romæ publicare non licuisset? aut si mei de Residentia pastorum libri & emptio, & lectio, & laudatio, quod sciunt omnes, libera est, quid refert Romæ, an Florentiæ publicasse? Magister vero sacri Palatii, qui iudicio librorum publicandorum præest, quantis laudibus librum meum extulerit, scit ipse, & audierunt plures. Nihil præterea nobis, quod ad dogma vllum pertineret, controuersum fuisse, aut dubitatum, disceptatumue, testis est Ioannes, Petrus, Ferrettus, episcopus Lauellinus, vir singulari religione, ac doctrina. Et Alfonso, Decius, Placentinus, sancti Petri Pœnitentiarius, grauis, & eruditus uir, testes etiam meæ ad illum literæ, quas huic meo Antapologetico adiungam. Imo cum idem ex me Venetias proficiscente de mei libri Florentiæ publicatione in via Bononiensi ad Vicum Loianum laudiret, familiariter amplexu, & osculo sancto mihi gratulatus est. Iam quanto studio, negotio, & importunitate Romæ, qui libros meos sumptu suo vellent imprimere, quæsitus tunc fuerit, testis est Guillelmus, Sirletus, vir integerrimus, & cum in omni literarum genere, tum in studio sanctæ scripturæ eruditus, & mirabiliter diligens: Sequitur, ut respondeam ad illud, quod proxime queritur, me eum, eiusque doctrinam iniuria, & indignis modis lacerasse, & infamasse. Si lacerare est, & infamare, contradicere, & refellere, fateor lacerasse, & infamasse, utar verbis eius, iniuria vero, & indignis modis quemadmodum lacerauim, non intelligo, nisi iniuriam putat, contradicere, & indignos modos appellat, quibus aliquando necesse est, uti contradicentem, ut Errant, qui hoc, aut illud dicunt, Non recte intelligunt, qui sic, aut secus interpretantur, Fallaciter hoc concludunt, Profana verborum nouitas est hæc, Error est iste ad Prolæm hæreticum pertinens. Hæc sunt libri mei conuictia, hæc iniuriæ, hi indigni modi. Cum de eius persona aliquid mihi dicendum fuit, laudaui eum, & dixi, multa alia sæpe, & recte scripsisse. Cum vero de doctrina eius ageretur, si ille contendebat sanam esse, & Ecclesiasticam, ego vero contradicebam, non mihi liceret, talem esse dicere, qualem esse demonstrabam. Hanc ergo rationem sermonis communis, & consuetudinis

loquendi necessitatem secutus, de eo, quod erat, rem appellaui. Fateor Magistrū sacri Palatii noluisse vnquam, mihi concedere, vt profanam nouitatem verborum appellarem, non quia non esset, sed quia graue verbum videretur, quodque absque dolore fortasse Laudator meus auditorus non esset. Ego vero & tūc illi respondi, & respondebo modo, sic appellasse, vt cum Laudator meus, tum alii magis cauerent, neque leue esse putarent, cum audirent ad eas pertinere, de quibus Apostolus dixisset, Profanas verbū nouitates deuita. Itaque cū dico errorē illius ad hæresem Ptolemæi pertinere, iniuria, & conuitiū sit, & indignus modus, vt loquitur, si non pertinet, iure, & merito queratur, sin vero pertinet, idque docui, & suo loco docebo amplius, quid queritur? recte inquit, si quidē pertineret. Aio ego, Tu negas, deligamus iudices, nō. n. ego iudex sum, et si me sæpe cenforē appellat, sed accusator, defendat ipse doctrinam suā, & vindicet illā, si potest, absque conuitiis & maledictis a falsitate, & nouitate profana, atque hærese. An hic est indignus modus? An hæc iniuria? Queritur deinde, quod librum meū cum eo non cōmunicarim, an requam ederem, vt quidē alia scripta mea communicassem, & vt me amici communes monuissent. O iustam querelam, testis est mihi Deus, si sperassem deducere eum a sentētia, & vt retractationem scriberet, persuadere, ac non potius tum per me, tum per alios cognouissem, pergere illum totis viribus defendere, quod semel scripsisset, libentissime communicassem. idque Guilelmo, Sirleto, amico meo summo, cum me de hoc officio admoneret, respondi, facturum me facile fuisse, si alterum exemplum mihi relinqueretur, præterea nihil me ex ea communicatione præter odium, & contentionē sperare. Tunc Guilelmus, recte, inquit, cogitas. Imo ea fuit causa, cur postquam libri mei publicum acceperunt, cum ad multos mitterem, illum tamen præterirem. Urbanus ille, & liberalius, vt sibi fortasse videbitur, qui vix libellum suum publicat, cum conuitia sua, id est, laudes meas ad me dedit perferendas. Memini etiam, cum ego, qui audirem, iam illi de meo libro scripto quidem, sed nondum publicato, nūtiatum esse, cuperemque, occasione nata, scire, quid sentiret, & in quā par-

tem

tem acciperet, adii eum, ut soleo aliquando, cum Romæ sum. Et cum inter nos colloquentes, in Residētiam Episcoporum forte incidissemus, dixi ego, videri mihi, eius de Residentia librum non mediocre scandalum esse iis, qui satis suo vitio negligentes essent, nisi nunc iure etiam, & auctoritate vitium suum tueri posse viderentur, dum se totos ex Pontificis nutu pendere dicerent. Adhæc ille satis tunc quidem, vt mihi videbatur, modeste, ego, inquit, non vt scādalum esset, scripsi, sed quia ita senti, & sentio, neque aliud in Scripturis doceri posse. quare, qui uolet, inquit, sentiat aliter, si videatur, licere. n. cuique pro ueritate dicere. De meo libro nihil ille. Narrauī hæc tunc amicis nonnullis. Profecto si librum meū ante publicationem communicari secum voluisset, non prætermisisset hanc occasionem. nūc queritur, postquam cum omnibus cōmunicatus est. Fateor alia mea nonnulla scripta cum eo cōmunicasse, de quibus, si antequam illa cōmunicassem, tam certus fuisset, quid ille sentiret, quā eram certus, quid de Residentia, uellet, quorsum cum eo cōmunicassem? Ego uero ideo alia mea scripta cum eo communicabam, ut aliquando amicis meis dicere solebam, quia tum doctus, tum facilis ad reprehendendum mihi videretur. Est autem reprehensio ad limandum per necessaria. quātum. n. negligentia creat promptus laudator, tantum diligentia & lima addere solet etiam importunus corrector. Iam quod Laudator meus ait, in reliquis scriptis meis, quæ cum eo communicassem, contineri dogmata periculosa, & inaudita paradoxa, quemadmodum ad rem, de qua agebatur, pertinere putarit, non intelligo. Sed bene habet, quod illa non meminit, ne longiore oratione esset mihi modo respondendum. Credo inaudita sunt, & paradoxa Laudatori meo, qui et si multa legerit, nō omnia tamen legit. Periculosa uero dogmata per Dei gratiam fortasse nulla teneo, neque facile tenere possum, quādiu sanctas Scripturas, traditiones sanctas, sancta cōcilia, & sanctorū Patrum consensum, quāto potero studio, sobrietate, & religione sequar, ut sequi a principio institui, dans operam, ut non plus sapiam, quā oportet sapere, sed, sicut ait Scriptura, Sapia ad sobrietatem. Verum, ut intelligant omnes, quā recte Lau-

B

dator meus cætera mea dogmata, quæ silentio prætermisit, (credo ut mihi parceret) intellexisse credendus sit, Videamus nunc quale sit, quod exæpli gratia notauit. Ut illud, inquit, Inter Deum & creaturam dari medium, quod norunt amici cõmunes. Si dixisset, quod illud medium, tametsi nõquam ego, Id medium posuissem, differre poteram hunc locum in tempus cõmodius, sperans interim fore aliquos, qui hoc fortasse melius quàm ille, intelligerent, quia tamen nihil amplius explicauit, cæteris, quod mihi tribuit, varie diuinandum relinquens, præterquam amicis illis cõmunibus, explicabo ego. Scio quos dicat amicos communes, duos sane doctos, & religiosos viros, quos ego in Christo amo, & colo. Fuit mihi cum eis aliquando disputatio de lumine gloriæ, in monte Thabor Discipulis ostenso, illi creatum contendebant, ego cõtra increatum, & æternum, ut me sancti Patres docuerant, Dionysius Areop. Eusthatus Antiochenus, Gregorius Nazianzenus, Athanasius, magnus Basil. Ephrem Syrus, Basilus Seleuciæ, Chrysostrmus, Euaristus Pontifex, Hieronymus, Cyrillus, Anastasius Antiochenus, Damascenus, sanctus Cosmas Hierosolymitanus, deinde Synodus Constantin. Ioanne Palæologo, & Ioãne Cantacuzeno Imperatoribus, ad uersus Barlaam, & Acidinum Calabros, pertinaces illius increati luminis negatores habita, postremo catholici auctores, qui postea separatim libros eruditissimos de eadẽ re conscripserunt, ut idem Ioannes Cantacuzenus, Christodulus, Philotheus Constantin. & Niceta Coniates cæteras etiam hæreses. 26. libris complexus, & alii, quos prætereo. Ne autem nunc omnia Patrum testimonia recitem, quod longum quidẽ esset, quodque proprio loco referuamus, satis interim fuerit, si in ore duorũ uel trium stat omne uerbũ, Ergo Chrysostrmus in Homilia de Transfiguratione, interpretator Latine totidem uerbis. Ostendit, inquit, Discipulis suis  
 » Diuini sui Regni gloriã, At dicent continuo, qui linguas ferunt ad uenãdum promptas, si est inaspectabilis diuina Verbi Dei gloria, ea que uideri non potest, quemadmodum ostendit eam Apostolis? etenim si sub aspectũ cadit, non est inaspectabilis, si autem inaspectabilis est, sub aspectum non cadit.

quo circa audi, & aduerte animum. Dominus Christus Discipulis suis gloriam Regni sui inaspectabilis ostendit, & nõ ostendit, ostendit quidẽ. quo certiores eos de Diuinitate sua faceret, non autem ostendit, quo parceret eorum infirmitati. ostendit, inquam, illis inaspectabilis Regni Diuinã gloriam, non quidem totam, sed quantum vis, & acies oculorum corporis ferre poterat. ut. n. infirmitatis eorum rationem haberet, non quia inuideret, non totam gloriam Diuini, & inuisibilis Regni ostendit, ne scilicet una cum aspectu uitam quoque amitterent. Hactenus Chrysostrmus. Lumen ergo illud Thaboriũ pater Chrysostrmus Euangelium secutus, Diuinam gloriam siue claritatem Verbi Dei fuisse ait, quam scilicet, antequam mundus fieret, habuit, & qua se clarificari a Patre petiit, cum in montem ascendit adorandum, ut Sanctus Ephrem Syrus in Homilia de Transfiguratione interpretatus est. Quam orationem a beato Luca prætermittam, beatus Ioannes Euangelista non tam historiæ, quam doctrinæ ordine seruato, suppleuit. Idcirco princeps Apostolorum Petrus de hoc glorioso lumine loquens, Accipiens, inquit, a Deo patre honorem, & gloriam, uoce delapsa ad eum a magnifica gloria, & quæ sequuntur. Scilicet accepit a patre, quod petierat, inquit, Glorifica, siue Clarifica me tu Pater apud te ipsum ea gloria, siue claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, apud te. In hac maiestate, & gloria, ut Patres, & Sancti Euangelii interpretes tradunt, ueniet Filius Hominis ad iudicandum in consumatione sæculi. Appellauit etiam pater Chrysostr. lumen hoc, Diuini Regni gloriam, Euangelium quoque secutus, in quo Regnum Dei appellatur, sicut scriptum est, Sunt quidam de hic astantibus, qui nõ uidebunt mortem, donec uideant Filium Hominis uenientẽ in Regno suo. Regnum uero Dei non est temporale, neque factum, id est, non huius creationis, sed sempiternum, & increatum. Neque. n. quia illa Verbi Dei gloria, atque Diuinitatis splendor tunc primum, Deo ita dispensante, in corpus eius redundauit. cœpitque esse, ubi nõ fuerat ante, id est, inhumanitate, idcirco dicatur factus esse tunc, non magis, quã Regnum Dei tunc esse incipiat, cum in eius possessionem beati

mittuntur. neque. n. ait, Fiat Regnum tuum, sed adueniat.  
 Aliud est, incipere esse secundum se, ac simpliciter, aliud, incipere esse hic, aut illic. Neque rursus, quia Discipuli huiusmodi gloriam increatam, & Diuinam viderunt, idcirco aut Deus corporeus, & uisibilis cōcludatur, aut lumen illud, quia creatura non sit, continuo absque distinctione vlla creator erit, aut inter Deum, & creaturā aliquid interiectū ponetur. aut Diuinum lumen, inaccessible, & spirituale desierit esse. Duo illa prima, illorum sunt, qui non distinguunt naturam, & naturale, substantiam, & energiam eius, Deum, & quod Dei proprium est. Tertium vero eorum, qui hæc ita distinguunt, ut energias proprias, & naturales in Deo non ratione tantum, sed re, a natura Dei, cuius sunt, separent. Quartum denique eorum est, qui non semper naturam solam, a natura cum gratia discernunt. Ergo lumen illud Dei proprium, & naturale, ratione tantum ab eo separabile tanquam ex quo, ut Patres loquuntur, etsi naturæ sensus humani inaccessibile, & inaccessible, utpote naturam superans, uiderunt tamen in monte sancti Discipuli oculis corporeis factis per potentem Spiritus Dei gratiam spiritualibus, & puris, atque ita non quidem naturaliter, sed *ὑπερφωῶς* luminis illius Diuini tantum viderunt, quantum scilicet cum Dei gratia mortales, ac nondum beati ferre potuerunt. Denique sic lumen illud & claritatem viderunt, sicut beatus Gregorius Nyssenus de sancto Stephano protomartyre in Homilia de laudibus eius scribit. Vertam latine, Egressus, inquit, naturam, priusquam ex corpore exiret, cernit oculis puris cœlestes ianuas parentes, & quod intra adyta sibi apparuit, ipsamque Diuinam gloriam, & gloriæ splendorem, non quidem characterem Paternæ gloriæ, qui nullus describi potest, (idest non substantiam, siue naturam Diuini Verbi vidit) sed splendorem eius in ea forma, quæ hominibus apparuit, idest, in humanitate vidit. idque quantum natura humana (scilicet, Dei gratia adiuvante) capere poterat. Recitemus deinceps Ioannis Damasceni testimonium clarissimum ex Homilia eius de Transfiguratione Domini in monte. Vertam latine ad uerbum.  
 » O inquit, rem miram, non accessit extrinsecus gloria ad cor-

» pus, sed ex intima Diuinitate verbi Dei, quæ Diuinitas in explicabili ratione, & modo cum corpore secundum hypostasem vnita est. Et paulo post, Transfiguratur, inquit, nõ quidem assumens, quod non erat, neque se mutans in id, quod non erat, sed quod erat. Discipulis suis ostendens. Hactenus Damascenus. Quod erat, inquit, nempe ex æternitate, utpote Diuinæ naturæ, naturalis proprietas, quam sancti Patres de lumine hoc loquentes, *ἰδιωμα φυσικόν* appellant. Non potest autem proprietas naturalis creata esse, si natura, cuius est proprietas, æterna, & increata sit. Etenim si potest, fuerit aliquando necesse est, natura illa imperfecta, & frustra, ut naturali sua proprietate, & energia carens, aut non semper fuerit. in hoc. n. *ἀδύνατον* compellitur Proclus Platonicus, cum Theoremate. 52. Vanæ suæ Theologiæ tradit, Aeternum esse aut secundum substantiam, aut secundum energiã, quasi vnus æternitas sine alterius posset esse. Accedat iam tertius testis, sanctissimus Pontifex Euaristus, in cuius, uel tolius ore hoc uerbum quod defendimus, stare potest. Is. n. in epistola ad omnes Episcopos Africanos prima, disputans aduersus eos, qui solum Patrem absque Filio lucem inaccessible, & æternam habitare contendebant, postquam demonstrauit eadem illam lucem habitare Filium, subiungit. In huius igitur luminis inaccessibleis scilicet, & æterni claritate Filius seipsum tribus Discipulis in monte præostendit. Hæc mihi necesse fuit aliquanto altius quàm breuissime potui, repetere, ut intelligi posset, quod mihi Laudator meus falso tribuit, quasi medium aliquid re separatū inter Deum, & Creaturam ponerem, quod nunquam, testis est mihi Deus, somniaui. Vnde uero profectū fuerit, ut mihi illud falso tribuerit, iam exposui, & quemadmodum ille, & quanto cum periculo in hoc Diuino lumine errer, qui. n. hoc Diuinum lumen tollunt, indigni sunt, ut magnus Basilus in exaero suo ait, qui sortem sanctorum in lumine, sicut Apostolus ait, participant, quo Dominus illuminabit eos, sicut est in Apocalypse beati Ioannis. non. n. erunt in obscuro, neque egebunt lumine lucernæ, aut solis, qui tunc & Dei claritatem, & Deum, sicuti est, beati videbunt. Rursus qui lumen illud Diuinum in



monte ostensum, creatum ponunt, Hæreses iam diu damnata renouant, Euangelio, synodo, Patribus, Ecclesiæ denique contradicentes, tū Græcæ, quæ in festo Transfigurationis, ἄκτιστον, ἀίδιον, & ὑπερκόσμιον Canit hoc lumen, vt est in Hymnis Damasceni, & Cosmæ Hierosolymitani, tū Latinæ, quæ item in eodem festo canit Increatum lumen. vt Diuinum numen cernentes Increato lumine, neque. n. distincte legendum est, sed iuncte. Etenim si Diuinum numen cernebant in creatura luminis, perinde profecto fuisset, atque cernerent Deum in creatura columbæ de cælo lapsæ, aut in creatura Solis, quod nemo sane concedat, præsertim qui secum reputauerit, quàm magnifice Scriptura sancta loquatur de illius Diuinæ maiestatis, ac magnificæ gloriæ visione, quam Dominus præcepit Apostolis, ne vlli dicerent, quia scilicet, radios Diuinitatis suæ tunc illis ostendisset. Fuisse ergo claritatem illam, cuius Apostoli facti sunt in monte spectatores, propriam Dei claritatem, æternam, & increatam, simplici fide, vt videmus, credendum est. Cætera vero, quæ in hac luce nostra, atque huius lucis vsura, & in aliarum naturarum proprietatibus cernuntur, ac considerantur, non sunt curiose, & subtiliter ad illud Diuinum lumen, & Diuinam illam uirtutem, ac proprietatem transferenda, ne quod est impiæ intemperantiæ, fidem intelligentia nostra metiri, ac terminare uelle, videamur. Vt. n. magnus Basilius ad Gregorium fratrem scribens, ait, Vt in iis, quæ sub sensum oculorum cadunt, experientia rationi præstat, sic in excellentibus fidei nostræ dogmatibus præstantior est fides, quàm ex ratione comprehensio. Atque hætenus responsum sit ad proœmium Apologetici Laudatoris mei. Ex quo intelligi potest, qualia sint cætera, quæ periculosa dogmata, & inaudita paradoxa in scriptis meis legisse ait. Nunc ad ea, quæ sequuntur, tum quæ in libro meo reprehendit, tum quæ in suo defendit, pergam. Recitauit ille ex libri mei proœmio hæc. Vt. n. debemus omnes honestate vitæ aliena vitia, tanquàm lumine tenebras coarguere, ac prodere, sic luce veritatis errorum tenebras patefacere, vt sicut scriptum est, Ambulemus omnes in omni bonitate, iustitia, & veritate, neque ponamus offendiculum fratri, vel

quæ auct. dicitur  
 hanc a pag. 10. de  
 Summa. auct.  
 in Theodosio m.  
 de auct. dicitur  
 in. n. auct.  
 assignat in hanc  
 oratione. J. cap.  
 19. lib. 6. docti  
 tutionum apst.  
 i. Comen. Rom.  
 et. dicitur bene  
 hanc auct. dicitur

scandalum, quale est, quod quidam dicunt, Episcopos nõ fieri a Deo, sed a Pontifice, & quod iidem falsa ratione inde concludunt, Residentiam Episcoporum non esse iuris Diuini. Et paulo post, Recitemus ergo primum, quæ isti ad hæc duo defendenda, tanto alioqui errore, & scandalo plena, falso opponunt, pluribus aliis erroribus implicata, vt velut in tabella proposita sit tota suscepti operis ad redarguendum materia. Hæc ille ex libro meo recitauit. Qui si duos versus cum dimidio amplius recitasset, fortasse locum non attigisset, aut conuictis, & maledictis totum non impleuisset. Itaque inuehitur in me, quàm modeste, ipse viderit, & calumniæ condemnat, quod nusquam in libro suo scriptum reperitur, quod statim in principio ei tribuerim, Episcopos fieri non a Deo, sed a Pontifice. Equidem in libro eius non sic scriptum esse, fateor, & id me non ignorasse, neque oblitum esse, imo libenter confiteri, intelligere potuit, si, vt dixi, duos versus cum dimidio amplius ex libro meo recitasset, aut meminisset. Sic enim subiunxi, recitans, quæ illius erant, Quemadmodum, inquiunt, Episcopus iure Diuino residere teneatur, cum nullus a Deo immediate fiat Episcopus, sed a Pontifice? Cum hæc ego ex libro eius recitarem, notarem autem in principio mei libri eos, qui dicerent Episcopos non a Deo, sed a Pontifice fieri, scilicet in Laudatorem meum intuens, debebat profecto ille, si me non ita commendandum putabat, attente relegere, & considerare hoc, quod in principio ei tribuissem in eius alioqui libro nõ scriptum verbis, vtrum ex ipsis tamen scriptis verbis concludendum esse demonstrarem. Id si fecisset, obseruasset profecto, & reperisset in libri mei pagina. 15. postquam vim, & proprietatem verbi huius, immediate, notassem, subiunxisse, Quare qui aiunt, Papam immediate fieri a Deo, vel necesse est, tollant ministerium medium, quod intercedit, quodque nudam electionem appellant, si ita, vt volunt, verbum immediate accipiant, Vel si sic, id est, proprie, & vt debet, accipiant immediate fieri a Deo, scilicet, tanquam ab auctore, & domino, ita vt inter Deum, & eum, qui fit Pontifex nemo alius intercedat potestatis Pontificalis auctor, & dator, profecto cum

» addunt velut comparantes, Episcopos vero non fieri imme-  
 » diate a Deo, sed à Pontifice, eumque esse collatorem potesta-  
 » tis Episcopalis, non iam ministrum faciunt Pontificē, sed pro-  
 » prie datorem Episcopatus, id est, huius gubernationis spiri-  
 » tualis, quæ charisma est, & quam Deus posuit in Ecclesia.  
 » Hæc libri mei. Cōcluseram autem supra, sicut magnus Atha-  
 » nadius in Baptismo concludebat. Quod si Pontifex Dei mi-  
 » nister ponit potestate sua immediata, & prima pastores in  
 » Ecclesia, ergo nō ponit Spiritus sanctus, frustra. n. ponat Do-  
 » minus, quod iam ministro iusserit ponere. Rex. n. vt aiebat  
 » magnus Athanasius, imperans aliquid ministro, scilicet, valē-  
 » ti, non iam ipse illud facit, sed ministro, cui iussit, relinquit fa-  
 » ciendum. Ita fit, vt qui Episcopos immediate fieri a Ponti-  
 » fice dicit, vt Laudator meus dicit, idem Episcopos nō a Deo,  
 » sed a Pontifice fieri dicat, necesse sit. Et nisi hoc ita esse sa-  
 » tis in libro meo demonstraui, calumnia sit, quod eum dicere  
 » statim in procemio affirmavi, & nunc iterum affirmo. In  
 » procemio autem cum non possit, neque debeat omnis *ἀκρι-  
 » βειν* & perfecta doctrinæ, ac sententiæ ratio constitui, debe-  
 » bat Laudator meus alioqui sapiens, & acutus consequentia  
 » videre. Et vtrum nō verba quidem eius scripta numerassem,  
 » sed sententiam scriptoris, vt boni interpretes faciunt, pon-  
 » derassem. Et vtrum lector tantum grammaticus, an simul  
 » & lector logicus fuisset, neque committere, quod Euse-  
 » bius Cæsariensis de Marcello Ancyrano queritur, interpre-  
 » tabor latine. Totum, inquit, corpus sententiæ verborum  
 » præcidens, & totam cōsequentiam celans, voculas vero quas  
 » dam ad carpendum aucupatis. Vide, quid faciat contemptus.  
 » Quia. n. me sic esse putabat, vt appellat passim stultum, & in-  
 » doctum, nihil curasse videtur, quæ scripsi, vtrum considerate  
 » scripserim, sed in suam tantum opinionem defixus, solum  
 » querere, si quomodo queat elabi, & pertinaci studio, ac con-  
 » tentione, quod semel scripsit, defendere. Nihil respōdebo  
 » ad conuitia, quæ in hunc locum tam multa contulit, indigna  
 » illo quidem ad dicendum, quāuis essent me digna ad audien-  
 » dum. Sequitur ordine alius locus, in quo Laudator meus,  
 » quod sæpe in libro meo hanc eius de Residentia Episcopo-  
 » rum

rum sententiam scandali plenam esse, affirmo, & vt ipsius ver-  
 bo vtar, vociferor, his verbis ex Apologetico suo repetitis,  
 ne omnia recitem, refellit. Neque vllum est, inquit, ex no-  
 stro libello periculum, quo Episcopi alliciantur ad non resi-  
 dendum, quia audiant non esse præceptum illis a Deo imme-  
 diate, quia satis sit ad æternam damnationem, vt sit præce-  
 ptum Ecclesiæ, dicente Domino, quis vos audit, me audit,  
 quod præsertim in iis Ecclesiasticis præceptis valet, quæ ip-  
 sum Diuinum præceptum aperte determinant. quo in loco,  
 vt hoc obiter obseruem, videtur mihi plane significare, præ-  
 ceptum residendi Diuinū esse, quod quidem præcepto Eccle-  
 siastico Pontificis determinetur, aut non intelligo, quorsum  
 addiderit, quod præsertim in iis Ecclesiasticis præceptis va-  
 let, quæ ipsum Diuinum præceptum aperte determinant, ni-  
 si tale putabat præceptum de Residentia, quod Ecclesiasti-  
 co præcepto determinaretur, in quo præsertim valeret illud,  
 qui vos audit, me audit. Sed hoc illi secum cōsiderandum re-  
 linquo. Quod si fortasse, quod credo, præceptum residendi  
 Diuinum ponit in cōmuni, non autem in particulari, vt idē  
 de votis & iuramentis tradit, loco suo, vel ipso iudice, refelle-  
 mus hoc. Redeo ad scandalum, quod nullum esse affirmat  
 in eo, quod tradit, Residentiam Episcoporum non Diuini,  
 sed Ecclesiastici iuris esse. Videtur mihi toto illo loco, quod  
 bona eius pace dixerim, nō intelligere, quid intersit, aliquid  
 a Deo, an ab Ecclesia præcipi, si qui vtrius eorum, siue Diui-  
 no, siue Ecclesiastico iuri non est obediens, æque sit ad æter-  
 nas pœnas damnandus, sicut scriptum est, qui vos audit, me  
 audit, & rursus, qui vos spernit, me spernit. Hac. n. ratione pu-  
 tat Laudator meus hanc suam de Residentia Ecclesiastico iu-  
 re sancita sententiam omni scandalo liberare, cum tamen mi-  
 nime liberet. Interest ergo hoc. Quod si Deus integrum  
 Pontifici reliquisset, mandare alicui Residentiā, aut mandato  
 illū soluere, vt illi videretur, satis esset mihi, si pastor essem,  
 non petere iniuste a Pontifice, vt me solueret lege residendi,  
 siue semper, siue ad tempus. Verum si solueret vltro Pon-  
 tificex, siue suis rationibus, & libidini seruiens, siue Ecclesiasti-  
 cæ necessitati, & vtilitati, nihil ad me pertinere putarem, in-

quirere cur solueret, neque detrectare, aut recusare impetratam absentiam propter conscientiam, sed potius si diceret, Vade, vaderem, si rursus, Veni alio, venirem, vt miles illius Centurionis Euangelici, nihil cunctatus, ne ab exemplo hoc recedam, quo etiam Laudator meus vsus esse videtur, cū ait, quomodo ergo posset mihi dicere Papa, ita hic, aut veni huc? Ergo vt miles, inquam, iuste militat, Veniens huc, aut vadēs illuc ad nūm eius potestatis, sub qua est, si tamen, vt est in Euangelio, contentus suis stipendiis, neminem concutiat, neque calumniam faciat, causas vero, & rationes militandi hic, aut illic, aduersus hos, aut illos, non debet is diiudicare, nisi plane sint iniquæ, & sceleratæ, & arx, aut castrum, quod miles custodiebat, si absentia militis amissum fuerit, quia scilicet abesse illum princeps voluerit, non fuerit fraudi militi, sed principi, sic Laudator meus cogitare videtur in iis, qui Ecclesiis regendis præpositi sunt, qui quidem Deo militant, & tanquam milites excubant in præsidio animarum, quasi accersiti a duce suo, abesse possint semper, si semper eos abesse velit, de hoc. n. reddet. dux rationem. Credo hanc rationē, & doctrinam secuti non pauci, facile ab Ecclesiis suis absentes erunt, quia abesse iubeantur, nihil inquirentes, neque curantes, quid necessitatis Ecclesiasticæ, aut cōmunis utilitatis eorum habeat absentia, & vtrum breuis sit absentia, an diuturna, & idcirco perniciofa. An non est hoc scandalum? Certe est, & quidem ingens. Scandalum. n. est, quicquid est infirmis, & ignorantibus occasio pereundi, vt est tradere, Neque a Christo, neque ab Apostolis immediate sancitum esse residendi ius, sed tantum a Pontifice. Quod qui credit, & defendit, similiter credat & defendat, si Pontifex sua solum voluntate ductus, a Residentia aliquem reuocet, aut prohibeat, ne vnquam ad Residendum ire liceat, parendum esse illi, neque reddendam esse rationem de iis, qui propter absentiam pastoris perjerint. Atque ita fiet, vt nunquam resistat, neque aduersetur Pontifici accersenti, & apud se diu detinenti. Quod quidem hoc tempore non paucos facere videmus. Quo quid esse potest scandalosius, & damnatione dignius? Miror equidem, Laudatorem meum, tam alioqui acutum, non intellēxif

se, in quo esset hic sita scandali ratio. Solum. n. aspexit in penas æternas, quas quia videbat ex æquo propositas esse tam præcepti diuini, quam humani contemptori, nihil, quantum ad scandalum pertineret, referre putauit, Diuini, an humani iuris dicere Residētiam, Detrudi. n. inquit, in gehennā ignis, aut quia violasti expressum Dei verbum, aut quia Ecclesiam Dei contempsisti, eius mandato nō parens, quid interest ad deterrendū hominem ab inobedientia? Hoc itaque, dicam iterum, Laudator iste meus voluisse videtur, dum Residentiā vult iure Ecclesiastico sancitā esse, scilicet vt si Pōtifex pastorem aliquē apud se semper, aut diu habere velit, vt eius opera vtatur, honestissima causa absentiae diuturnæ, aut etiā perperuæ habeatur. Ita vt eiusmodi pastor voluntati & iudicio sūmi Pastoris repugnare minime debeat, imo fortasse neque ei liceat videre, vtrū opera eius ad Ecclesiæ catholicæ nō mediocrem vtilitatem, & ea quidem ad breue tempus Pontifex vtatur. At si Dominus ipse per se, & Apostolos suos legem residendi omnibus sanxit pastoribus, debet Sūmus Pastor, idē que Episcoporum Episcopus facere, quod Ioānes Leuita de beato Gregorio libro. iiii. vitæ eius scripsit. Neminē, inquit, Pontificum a parœciā sua saltem parumper absque inuitabili necessitate discedere, Gregorius permittebat. Et iterū idem Gregorius ad Antemium Subdiaconum de Amalfitanæ ciuitatis Episcopo ab Ecclesia sua absente, Hac tibi, inquit, auctoritate præcipimus, vt supra scripto Episcopo interminari non desinas, quatenus hoc de cætero facere non præsumat, sed in Ecclesia sua Sacerdotali more resideat. Denique debent cæteri pastores, quicumque illi sint, Vigilare pro animabus, sicut Apostolus ait, tanquam rationē reddituri de iis, quibus lege Dei præsumunt. Ita vt si Pōtifex pastore reuocet, & abesse iubeat, nisi propter maiorē Ecclesiæ utilitatē, & ad breue tēpus reuocet, dicere possit, & debeat, quod Petrus cū aliis Apostolis respondit principi sacerdotum præcipiēti, ne in nomine Iesu prædicarēt, scilicet Oportere, magis obedire Deo, quā hominibus. Vt. n. Christus præcepit Apostolis prædicare Euangeliū omni creaturæ, sic Episcopis, & pastoribus spiritualibus residere, & Euāgelica prædicatione oues pasce-

se præcepisse credendus est. Qui. n. hoc non crediderit, nunquã id intelliget in scriptura sancta contineri. Quod quidẽ credẽs, & intelligens; beatus Hilarius in quinto de Trinitate libro, Mihi quidẽ, inquit, præter studii mei, atque officii necessitatem, qua hoc Ecclesiæ Episcopus prædicationis Evangelicæ deo ministerium, tamen eo propensior cura ad scribendum fuit. Præterea, quid scandalosius esse potest, quã docere, quod illi consequenter docendum fuit, si propositũ tueri volebat, nempe parabolam boni pastoris non esse præceptum nostris pastoribus, sed admonitionem; id est, ne quis deinceps pastor existimet præcipi sibi a Christo, ut eius vocem oves audiant, & ipse oves proprias emittat, ante eas vadat, & oves illum sequantur, quia sciant vocem eius, sed potius si ei Pontifex præcipiat, ut semper apud eum præsto sit ad vtendum consilio eius in Ecclesiæ Catholicæ gubernatione, & administratione, ponamus. n. hanc honestissimam, & iustissimam absentia diuturnæ, aut etiam perpetuæ causam, si qua esse potest, si inquam hoc præcipiat, perpetuo, aut diu abesse possit, satisque illi sit, si non vocem eius audiant oves, sed ipse pastoris sui vocem audiat, non oves proprias emittat, sed ipse tanquam ovis solum emittatur, nõ ante oves vadat, sed ipse post pastorem suum, id est Pontificem sequatur, neque illum oves propriæ sequantur, sed ipse, ut dixi, Pontificem. Verum illud est admiratione dignum, quod cum parabolam illam boni pastoris non ad Christum solum, ut Laudator meus volebat, sed ad cæteros omnes pastores, Petri & Pauli tanquam Diuinorum interpretum locis cum scriptura Evangelii comparatis, tum Patrum auctoritatibus pertinere probassem, neque in ea admonitionem nostrorum Pastorum, ut idem volebat, sed præceptum contineri, Laudator meus nihil prorsus ad hunc locum respondit, qui tamen iugulum, ut dicitur, petebat. quare tacite confessus est, licet inuitus, esse hoc de numero eorum paucissimorum, quæ in meo libro erroribus, & mendis carere dicit. quamobrẽ dicamus, quod sapiens ille in conuiuio Darii, Benedictus Deus veritatis, magna est veritas, & præualet, veritas manet, & inualescit in æternum, & uiuit, & obtinet in secula seculorum. Re-

petit deinde, ideo negasse Residentiam iuris Diuini esse, ne (inquit) perturbaretur ordo Dei in Ecclesia positus Christi verbo in Petro, pro quo, inquit, verbo pugnaui semper, & pugnabo cum Dei gratia. iterum credo, affirmat, paratũ se esse defendere, illud Christi verbum, Pasce oves meas, soli Petro dictum esse a Christo, ac non etiam cæteris pastoribus spiritualibus in Petro. ita ut non solum vniuersalis potestas Primi Pastoris, sed sigillatim cuiuscunque Pastoris potestas a lege illa Diuina originem ducat, & illis Christi verbis sancita sit. quod ego cum copiose in libro meo docuerim, & testimoniis Patrum Basili, Leonis magni, Ambrosii, Augustini, & Ecclesiæ Catholicæ traditione confirmarim; nihilque ad hunc locum Laudator meus responderit, profecto confessus quoque tacite est, hoc etiam esse de numero eorum paucissimorum, quæ in meo libro erroribus, & mendis carere nõ negat. Sed rursus miror, si refellere non potuit, neque refellendum esse putauit hoc, quod sancti Patres magno cõsensu tradunt, non solum Petrum, Ecclesiæ Catholicæ Pastorem primum cõstitutum esse, sed cæteros quoque Pastores spirituales, illis ipsis verbis Petro specialiter dictis, Pasce oves meas, æque a Christo suę quemque Ecclesiæ pastorem constitui, quemadmodum non intellexerit, suum istum ordinem Ecclesiæ iam sustineri non posse, in quo ait Pontificem immediate fieri a Christo, Episcopos vero immediate fieri a Pontifice. Aut si illud refellere potuit, quod illi necesse erat refellere, cur neglexit. Sed fortasse non meminit. Sequitur paulopost, Sed occurrit hic reprehensor nolter, & ait magis metuissent, si putarent Residentiam illius modi esse præceptum verbo Dei expressum. verum fallitur, qui. n. præceptum Ecclesiæ non curat, neque verbum Dei expressum curabit. Dominus dixit, Si crederetis Moyse, crederetis vtique & mihi. Hoc loco scripta Moyse cum scriptis ecclesiæ humanis æquat, de quo errore copiose postea. Rursus affirmat & quidem vere, Pastore Primum Christi verbo constitutum esse, Petrum scilicet, in quo omnes, inquit, successores intelliguntur, reliquos vero, qui postmodum in Ecclesia ordinati sunt, nõ esse Episcopos immediate a Deo, sed mediante ipso Pontifice Primo, sicut

- multi sanctorum Pontificum, & omnes Catholici doctores,  
 - & specialiter beatus Thomas docuere, & ipsa experiētia ma-  
 - gis comprobat. Docui copiose in meo libro Episcopos, &  
 - pastores omnes spirituales immediate fieri a Deo, idque te-  
 - stimoniis Scripturæ sanctæ, & sanctorum Patrum auctori-  
 - tibus satis probavi, meus vero Laudator quia alium non re-  
 - perit, qui diceret, quod ipse tradit, tacet, qui Pōtifices, & qui  
 - illi catholici doctores docuerint, Episcopos non fieri a Deo  
 - immediate, qui iam diu tamen didicerat, immediatum esse,  
 - ante quod non est primum. quod quidem quia veteres Pa-  
 - tres etiam didicerunt, nullus eorum vnquam dixit, quod hic  
 - tradit, Episcopos non fieri immediate a Deo. quod si beatus  
 - Thomas, ut ipse ait, specialiter docet, mediante Pontifice pri-  
 - mo Episcopos fieri, nunquam tamen idem docuerit, non fie-  
 - ri illos a Deo immediate, sed de hoc plura adhuc postea per-  
 - gamus nunc ordine respondere. Improbans ergo, quod  
 - Laudator meus tradebat, esse in Pontifice nudam electionē  
 - per homines sine collatione potestatis papalis, scripseram,  
 - illa, quæ Laudator meus in Apologetico suo recitavit, quid  
 - enim monstri est nuda illa Pontificis electio sine collatione  
 - potestatis Papalis? Etenim si eligitur Canonice, ad aliquā po-  
 - testatem spirituales eligatur, necesse est, imo ipsa est electio,  
 - quam Pontifex per homines est sequitur, quid aliud est nisi  
 - gratia, siue charisma summæ potestatis spiritualis? Postquam  
 - hæc mea recitavit, subiunxit de me. Hæc ille vere monstra &  
 - ostenta, quæ longe quidem sunt mihi difficiliora ad intelli-  
 - gendum quàm ad redarguendum. Bene habet, quod ipse  
 - confitetur facile esse sibi redarguere, & reprehendere, quod  
 - non intelligat, quod ego ei si dixissem, magni me id conuitii  
 - loco dicere putavissem, quis. n. vnquam sapiens, quod diffi-  
 - le intelligit, facile redarguat? Fortasse, sic dicere voluit, quæ  
 - mihi quidem longe fuerunt difficiliora ad intelligendū, quā  
 - postquam intellexi, ad redarguendum. Neque. n. puto vllum  
 - esse tam tardum, qui non facile intelligat, qua ratione refelle-  
 - rim nudam illam electionem Pontificis sine collatione pote-  
 - statis Papalis. Sed miror, si rationes illas meas, quibus nudā  
 - illam suam electionem refellebam, facilius erat redarguere,

quam intelligere, cur non ratione aliqua redarguerit. fortas-  
 - se ne quod se non satis intelligere ingenue confitebatur, re-  
 - darguere temere videretur. Deinde subiunxit, Illud tamē ma-  
 - nifestum est de superioribus verbis suis, negare illum (me au-  
 - tem dicebat) summi Pontificis potestatem, ac iurisdictionē  
 - esse immediate a Deo, cum ab hominibus eligatur &c. Do-  
 - cui in meo libro, quemadmodum quod eligatur Pontifex ab  
 - hominibus, siue per homines, tanquam ministros Dei, non  
 - tollit quin idem immediate potestatem, ac iurisdictionem a  
 - Deo accipiat tanquā ab auctore primo & Domino. quod cū  
 - dicat me negare, plane probat, quod mea paulo ante dixit,  
 - difficiliora esse sibi ad intelligendum, quàm ad reprehenden-  
 - dum, neque meminisse, quod sanctus Thomas, quem ille tan-  
 - to studio sequi laborat, docet, eundem effectum immediate  
 - a Deo per agens infimum produci, vt paulo post indicabo.  
 - Addit paulo post, de me, Et tandem concludit haud magis im-  
 - mediate a Deo esse summum Pōtificem, quam quemuis Epi-  
 - scopum. Sed videamus quàm facile hæc, quæ recitavit, sine  
 - ratione vlla redarguat, Si hæc, inquit, absurda nō sunt, & per-  
 - uersa, quæ rogo erunt? vult enim Papæ potestatem nō a Deo  
 - immediate, contra quod assero, sed per eligētes venire, quod  
 - se putat probare, quia electio ipsa, quam Pontifex per homi-  
 - nes consequitur, non est aliud, inquit, nisi gratia, & charisma  
 - summæ potestatis spiritualis. Adhunc modū redarguit mea,  
 - recitans, quod non scripsi, & quod scripsi, neque intelligens,  
 - vt ipse fatetur, neque refellens. Ego. n. in meo libro copiose  
 - me puto demonstrasse, Episcopos immediate fieri a Deo,  
 - tametsi per ministerium Pont. sicuti Pontifices summos im-  
 - mediate quoque a Deo fieri, licet per ministerium hominū  
 - eligentium. Vnde pag. 14. scripsi, Recte ergo qui dixerunt,  
 - Papam immediate fieri a Deo, cum fiat per ministerium eli-  
 - gentium, quod ipsi eligentes rursus a Deo acceperunt per mi-  
 - nisterium Pont. qui eos ad hoc elegit. Minister vero, vt dixi,  
 - non est aliud, quàm minister ex virtute, quam Deus dat, mi-  
 - nistrans, Dominus vero dator charismatis, & effector mune-  
 - ris. Et pagina. 13. postquam vim, & proprietatem huius ver-  
 - bi immediate notavi, esse. n. immediatum, quod primum, vt

Aristoteles in priore libro Posteriorum Analyticorum traderet. Item Primum esse quod Valentiſſus eſt, vt cauſa, qua ſecundum voluntatem mouente, alterum moueretur, & qua ruruſus non mouente, non moueretur, vt idem Philoſophus in quinto τῶν μετὰ τὰ φυσικά doceret, qua vtraque ratione Episcopos fieri a Deo immediate, & primum, hæc inquam poſtquam dixi, ſubiunxi de Pontifice, ipſe enim tanquam caput accepit a Deo ſecundum gratiam omne miniſterium, ac diſpenſationem omnis poteſtatis ſpiritualis, ita vt quicquid Dominus aliis tribuat, non niſi per Pontificem, tanquam ſummum miniſtrum ſuum tribuat, accipiantque de eius poteſtate cæteri partem, non quidem ab eo, tanquam primo ſtore, & datore, ſed a Deo per eum. Qui quidem (ſi ita loqui libet) dicatur mediate facere Episcopos, ideſt, tanquam miniſter. Ac ſic quidem vt Pontifex facit Episcopos, ſimiliter eligentes faciunt Pontificem, tanquam miniſtri, inquam, electionis, & gratiæ Pontificalis, quæ a Deo quidem immediate, & primum tribuitur. Hoc vero intereſt, quòd Pontifex, qui Episcopos facit, Episcopos eſt ipſe, & quidem ſuperior, imo ſummus, eligentes vero Pontificem, etſi Pontificali actu vtantur, tamen nõ ſic ſunt Pontifices, ne dum ſuperiores Pontifice. Verum hoc non tollit, quin omnes miniſtri ſint, Deus autem auctor, & dator Episcopalis, & Pontificalis poteſtatis &c. Hæc mea. Verum Laudator meus cum nondum queat intelligere, quemadmodum poſſit Pontifex immediate fieri a Deo, & per eligentes, tanquam miniſtros, malitque potius a Philoſophis & veteribus Theologis recedere, quam patiatur abduci a conſuetudine Scholaſtica, quam excuſat verbi huius immediate, poſt longam meam, & ſatis, vt opinor, dilucidam explanationem, tanquam ſententiam meam recitaret, Vult, inquit, Papæ poteſtatem non a Deo immediate, Cõtra quod ego aſſero, ſed per eligentes venire. Et quæ ſequuntur. Deinde, quia ſcripſi, electionem ipſam, quã Pontifex per homines conſequitur, non eſſe aliud, quam gratiam, & Charisma ſummæ poteſtatis ſpiritualis, & alibi loco electionem dixi eſſe actum Pontificalem, hoc loco Laudator meus, nõ dicam, vt me ille dicere ſolet, neque mea capientem, neque ſua intel-

ligentem,

ligentem, non hoc dicam, abſit, quia conuitium fortaffe putabitur, ſed illud ſine conuitio dicam, quia mea fortassis non attente legit, vt quidem debebat, attentiffime ad refellendum relegere, ſi non ita me contemnendum putaffet, exiſtimauit me mecum tãquam ſtultum, & furioſum, vt appellare ſolet, diffidere, & ſe ad conuitia conuertens, hic te, inquit, appello ſtudioſe lector, nunquid hæc ſunt digna conſutatione, quæ per ſe patent tam inepta, tanquã ridicula? quis vnquam ſomniauit, electionem eſſe gratiam, ſiue donum ſummæ poteſtatis ſpiritualis, & eſſe actum Pontificalem? Hæc ille. Ego electionem, quam Pontifex per homines conſequitur, gratiam eſſe, & chariſma poteſtatis Pontificalis, quæ ſpiritualis eſt, eademque ſumma, & dixi, & ſatis me probaſſe puto, pagina. 7. & 8. Quod quidem ille ſi refellere potuiſſet, ſcio, non peperciſſet, præfertim cum locum non diſſimulaſſet. Atque hic quidem nemo non videt ſermonem fuiſſe de electione Pontificis, vt ita dicam, paſſiua, ideſt, qua eligitur ab eligentibus. Pagina vero. 13. cum electionem dixi, eſſe actum Pontificalem, ſermo mihi erat de electione Pontificis actiua, vt ita dicam, ideſt, qua eum eligunt ipſi eligentes, Sic. n. ſcripſi, Electores vero, qui Pontificem eligunt, etſi Pontificali actu vtantur, tamen non ſunt ſic Pontifices nedum ſuperiores Pontifice. Appellauit autem huiusmodi electionem actiuam, actum Pontificalem, quia per Pontificem manarit ad eligentes. Sic enim ſcripſi pagina. 14. de eligentibus Pontificem. Habere eos gratiam eligendi, & applicandi miniſterio ſuo, quod a Deo ſimiliter per Pontificem acceperint, miniſterium inquam applicandi ad eam poteſtatem, & gubernationem, qua ipſi carent. Verum hæc Laudator meus paulo poſt non tam rationibus, quam conuitiis, vt ſolet in hunc modum refellit, ait enim de me. Quod autem addit, quòd ſicut Pontifex facit Episcopos, ſimiliter electores Pontificem faciunt, tanquam miniſtri electionis, & gratiæ Pontificalis, & quòd Pontificalem actum exercent, omnino falſum, & imperite dictum eſt, quomodo enim Pontificalem poſſent exercere actum non Pontifices? & quomodo poſſent ipſi dare poteſtatem, quam non habent? nunquid Deus calefaciat per aquam, aut frigeſciat per ignem?

D

- quia hic homo ait, per electionem dari curam Pontificatus,  
 - quam tamen ipsi non habent, sicut per Pontificem datur cu-  
 - ra Episcopatus, quam ipse Pontifex habet, quis nõ videat fal-  
 - so hæc, & temere iactari? & sola dicentis arrogantia? Ad hunc  
 modum redarguit, quod se confitetur non intelligere, quo-  
 modo, inquit, eligentes Pontificem, Pontificaliẽ possent exer-  
 cere actum non Pontifices? Equidẽ satis aperte in libro meo  
 exposui, cur actum Pontificalem, appellarem electionem illã,  
 qua electores Pontificem eligerent, quia scilicet eligendi po-  
 testatem, & auctoritatem per Pontificem acceperunt, ad Põ-  
 tificem enim tanquam ad summum Pastorem pertinet, non  
 solum Episcopos eligere & cõstituire, sed etiam Episcopum  
 Episcoporum, sicuti beatus Petrus Clementem sibi successo-  
 rem elegit. ergo vt si Rex, ad quẽ pertineat eligere magistra-  
 tum aliquem, potestatem, & auctoritatem magistratum illũ  
 eligẽdi alteri tribuat, dicatur is. quidem actum regalem exer-  
 cere, cum eiusmodi magistratum eligit, similiter hic dicatur.  
 - Deinde subiungit, & quomodo, possent ipsi dare potestate,  
 - quam non habent? nunquid Deus calefaciat per aquam? aut  
 - frigefaciat per ignem? Docui copiose, & satis, vt opinor, di-  
 » stincte in libro meo, neminem præter Deum dare Spiritum  
 » sanctum, eiusque charismata, tanquam Dominum, hominem  
 » enim solum esse ministrũ ex virtute, sicut beatus Petrus ait,  
 » quam Deus dat, ministrãtem, neque referre, vtrum minister  
 » habeat, quod ministrat, an non habeat, sicuti qui ministrat  
 » gratiam, alienus ipse a gratia, neque plus agere, cum habet,  
 » quod ministrat, quam cum non habet. Deum. n. esse datorẽ,  
 » & Dominum gratiarum, quas diuidit, itaque Episcopis, pre-  
 » sbyteris, & reliquis potestatibus spiritualibus dare Deũ de-  
 » Spiritu, siue charismate Pontificis, sicuti dixit Moyse de. 70.  
 » quos. illi iussit eligere, & auferam, inquit, de spiritu tuo, &  
 » tradã eis, vt sustentent onus tecum. &c. Cum vero fieret Pon-  
 tificex, dixi non sic auferre Dominum de spiritu eligentium,  
 idest de charismate eorum, siquidem charisma, siue potesta-  
 tem summi Pontificatus minime habeant illi, sed tantũ gra-  
 tiam eligendi, & applicandi ministerio suo. Cætera quæ ad  
 hunc locum pertinent e libro meo petantur, ne omnia hic re-

petã. Hæc si Laudator meus attente legisset, aut meminisset,  
 nunquam profecto aduersus me dubitans, dixisset, & quomo-  
 do possent ipsi dare potestatem, quam non habent? Vt enim  
 sepe dixi, dare potestatem spiritualem, Dei quidem est, homi-  
 num vero dispensare, & ministrare, nihil autem prohibet mi-  
 nistros esse, atque dispensatores eius, quod non habeant, di-  
 - uidit. n. Dominus per ministros neque vnum, neque vno mo-  
 - do, sed multa, & varie. Sed nunquid, ait, calefaciat Deus per  
 aquam, aut refrigeret per ignem? Tale esse putauit Laudator  
 meus, idest, impossibile, quod Deum dicimus facere Pontifi-  
 cem per electores, qui non sint Pontifices. Facile itaque, vt vi-  
 deo, Laudator meus fieri posse neget, quod quemadmodum  
 fiat, non possit a nobis intelligentia comprehendere. Et quàm  
 multa sunt, quæso, quæ, Deo operante, fiunt, quæ quomodo  
 fiant, non intelligimus? imo neque inquirere debemus, pia  
 simplicitate credentes, non esse impossibile apud Deum om-  
 ne Verbum. Audi quid beatus Magnetes ante tempora Con-  
 stantini magni ad Theosthenem aduersus quendam noui te-  
 stamenti reprehensorem libro quarto scripserit in hanc sen-  
 » tentiam, interpretabor latine. Nihil esse, quod nõ posset effi-  
 » cere Diuina natura. vt idem esse solem, & nubem, item quæ  
 » præterierint, non esse præterita, & facta infecta. quomodo  
 » autem, & quando, neque explicari, neque comprehendere pos-  
 » se. Cum itaque, inquit, omnia possit Deus efficere, non tamẽ  
 » efficit, quatenus potest, sed quatenus vult. vult autem, quæ  
 » conueniunt, conueniunt, quæ decent, decent vero, ἀπὸ  
 » ἀκόλουθον, idest, quæ apta sunt, & cohærentia. Hactenus ille.  
 Similiter ergo dicere liceat, quod tametsi nolit Deus per  
 ignem refrigerare, tamen si velit, potest, & fortasse voluit in  
 fornace illa Babylonia, tametsi neque explicari possit quo-  
 modo, neque intelligi. Atque ita sicut per ignem expertem  
 frigoris frigus fieri tunc potuit, sic nũc fieri potest Pontifex,  
 vt quidem fit per eos, qui Pontifices non sunt, Deo hoc ope-  
 rante, & volente. Hæc vero eatenus intelligantur, quatenus  
 natura rerum tam dissimiliũ cõuenientiam similitudinis fer-  
 re potest. Aut quod magis mihi probatur, dicamus de igne  
 illo Babyloniæ fornacis, quod sanctus Theodotus ait in alte

ra Homilia de natali Christi earum, quæ in Concilio Ephesi  
 no recitatae sunt aduersus eos, qui aiebant, cum Verbum ca-  
 ro factum est, mutasse naturam suam. Vertam latine. Flamma  
 » (inquit) Babylonia ros facta est tribus pueris, & ignis man-  
 » fit, vt testantur, qui ea vsti fuerunt. Vt seruentur pueri, opera-  
 » tur Deus hoc miraculum, & vt saluus fiat mundus, dubitas,  
 » quod manens Deus factus sit homo? non opus fuit, naturam  
 » flammæ mutare, vt fieret ros, & opus esset naturam suam mu-  
 » tare, cum vellet Deus propter salutem mundi fieri homo?  
 » Idem Theodotus paulo ante, Neque tu (inquit) dicere potes,  
 » quemadmodum Nilus sanguis factus est, non mutata natura  
 » aquæ, tanquam aqua enim Hebræi utebantur, Aegyptiis ve-  
 » ro factus est Nilus sanguis. Item lumen in Aegypto factum  
 » est tenebræ, non extinctum, sed manens, quod erat, dies enim  
 » erat Israelitis, Aegyptiis vero tenebræ, & vnum existens, lu-  
 » men erat, & tenebræ, non ab hoc mutatum, & illud factum.  
 » neque enim mutata est natura aquæ, quod declararunt He-  
 » bræi, qui eam bibebant, sed mansit natura aquæ *ἐν ἰδίοις*  
 » *ὁμοίῳ*, idest, intra terminos naturæ suæ, & facta est sanguis,  
 » qui non erat, Deo miraculum operante. Similiter cogitare  
 poterat Laudator meus in Pontificis electione, atque in Nili  
 aqua, & lumine, & fornacis igne, non. n. desinunt esse, qui erant  
 eligentes, idest, homines non Pontifices, & tamen energiam  
 aliquam, & naturam quandam Pontificalem accipiunt, tan-  
 quam ministri, qua, Deo hoc operante, Pontificem eligunt.  
 Satis quidem fuerat simpliciter respondisse, quod supra re-  
 spondi, eligentes Pontificem, ministros tantum esse, neque re-  
 ferre, vtrum minister habeat in se quod ministrat, an non ha-  
 beat, sicut qui ministrat, & dispensat gratiam, alienus ipse a  
 gratia, tamen propter exempla, quæ Laudator meus attulit,  
 hæc volui dicere, fortasse neque inutilia, neque ingrata, ne-  
 que aliena, licet ille neget, & me ita contemnat, vt omnia illi  
 mea inepta, & ridicula esse videantur præ suis. Redeo ad lo-  
 cum proxime necessitate quadam prætermisum. Postquam  
 quid verbum illud, immediate, significaret, & quemadmodum  
 accipiendum esse, a Philosophis traderetur, & quid interesset  
 in dogmate tradendo proprie, & non homonyme, atque

*ἀποφάσει* ipso vti, satis ostenderam, respondens Laudator  
 meus ad eum locum, postquam mea in libello suo recitauit, quæ  
 - ego non repeto, ne sim longior, hæc subiūxit. Quæ vt explicē  
 - tur, rogo, quid est tandem, quod ipse in me reprehedit? nūquid  
 - sensum meum, quæ declarauit? an potius locutionem impropiam?  
 - Cū ego dico applicari Pontificatum Papæ a Deo immediate, sen-  
 - sus meus est, cū omnis potestas sit a Deo, & applicetur ab il-  
 - lo, esse tamē aliquas ab illo immediate, idest, non per alias perso-  
 - nas medias, qualis est summi Pontificis potestas, tametsi eliga-  
 - tur ab hominibus, quia electio non cōfert potestatem, sed perso-  
 - nā solū discernit, cui a Deo potestas absque alio medio cōfer-  
 - tur. aliqua vero sunt quidē a Deo, sed mediate, quales sūt po-  
 - testates illæ, quæ a summo Pontifice, & per ipsum in alios deri-  
 - uant, sicut docuit sanctus doctor noster Thomas asserens om-  
 - nē potestatem depēdere a summo Pontifice. Et paulo post, Si au-  
 - tē hunc meum sensum reprehedit, vt certe facit, volens Pontifi-  
 - catus gratiam, & potestatem per electores venire eo modo, quo  
 - ptas Episcopalis a Pontifice descendit in singulos, non me re-  
 - prehedit, sed ipsos summos Pontifices, & Ecclesie sanctæ docto-  
 - res, & hæreticis fauet, quāobrem dimittendus, tanquam indignus  
 - responso. Adhuc modum me Laudator meus refellit non ra-  
 tionibus, vt sæpe dixi, sed cōiitiis, quamobrem dimittendus,  
 inquit, tanquam indignus responso, perinde atque diceret,  
 quod scripsi, scripsi. Ego vero nudam illam suam Pontificis  
 electionem per homines sine collatione potestatis refellens,  
 » sic scripseram pagina. 7. quid enim monstrum est nuda illa Pon-  
 » tificis electio per homines sine collatione potestatis Papalis?  
 » etenim si eligitur Canonice, ad aliquam potestatem eligatur,  
 » necesse est, immo ipsa electio, quæ Pontifex per homines con-  
 » sequitur, quid aliud est, quā gratia, siue charisma summæ po-  
 » testatis spiritualis? Deinde cum per Moysen applicati sunt  
 » Aaron, & filii eius, vt, sicut scriptum est, sacerdotio fungeretur  
 » Domino, an non per eundem potestatem sacerdotalem acceperunt a  
 » Domino? Præterea electio siue in Pontifice, siue in cæteris Epi-  
 » scopis, quid est, nisi separatio quædam, & applicatio ad guber-  
 » nationem spirituales? huiusmodi vero applicatio quid, nisi gratia,  
 » quam solus Dominus diuidit? homo autem gratiæ diuidendæ



minister est tantum, & dispensator? & quæ sequuntur, ne omnia repetam. Adhæc ille ne verbum quidem respondere dignatus est. An dicemus iudicasse indigna responsione? an potius non habuisse, quid ad rationes illas meas responderet? certe non habuisse, nisi forte illud iam in huiusmodi defensores propositi tritum, quod scripsi, scripsi. qui. n. posuerat nudam illam Pontificis electionem per homines sine collatione potestatis Papalis, id ipsum iterum nunc asseuerans clarus, etsi Pontifex (inquit) eligatur ab hominibus, tamen electione illa non dari potestatem, sed personam tantum discerni, ut verbo eius utar, id est statui, siue designari, ac denotari ad Pontificatus potestatem, quæ a Deo, inquit, confertur absque alio medio. Sed quæro ego ab eo rursus, fortassis. n. iã dignabitur responsione, si eligentes Pontificem, potestatem nõ tribuunt, tanquam ministri, Deo illam primum, & immediate tribuente, quid isti plus agunt, quam plebs in Episcopis, cum iuxta Leonis magni decretum plebs expetit, & clerus eligit. plebs. n. similiter discernit personam. quod si nõ agunt plus, quam plebs, cum expetit, quis Pontificem eligit? nisi idem putat esse expetere, & eligere, sed de hoc paulopost copiosius, & distinctius. Aut quid agunt plus, quam egerunt Apostoli? cum, sicut scriptum est, statuerunt duos, Ioseph cognomento Iustum, & Matthiam, Deus autem Matthiam elegit, & eam electionem sorte declarauit. At hic præter numerum eligentium, nulla præterea alia a Deo fit declaratio certi Pontificis electi. Aut si effectum spectemus, quid isti eligentes, minus agunt, quam clerus in Episcopis, approbante Pontifice? Ut. n. statim ut ad cleri electionem approbatio viuentis Pontificis accedit, electus ipse potestatem electo conuenientem a Deo tanquam a Domino per ministerium electionis illius approbatæ habet, sic statim ut est Pontifex canonice electus, id est iuxta approbationem Pontificum superiorum, habet potestatem primi Episcopi. quod si ita est, & nos talem fidem, & consuetudinem habemus, & Ecclesia Dei, dicat Laudator meus, quo Spiritu reuelante, aut quam Scripturam securus, aut quos Patres didicit sic distinguere nudam electionem a collatione potestatis Papalis? quæ quidem videri po-

test profana verborum nouitas, sanæ doctrinæ repugnans, & ab Ecclesiastica regula aliena, ac schismatis seminarium. Et enim si qui Pontificem eligunt, ministerio electionis potestatem non conferunt Pontifici, sed tantum decernunt, ac designant personam, quæro, quando, & quomodo fiat certum de electi potestate? Credo, respondebit, statim ut maior pars eligentium, si ita ponamus, designauerit, siue decreuerit personam, potestatem accipere. Sed cum in cæteris aliud sit tempus designationis, siue discretionis, & aliud renuntiationis, siue declarationis, quæro rursus a Laudatore meo, unde didicit, utrumque esse hic vnum tempus? Præterea, cum Apostoli duos illos statuerunt, & orantes Deum, petierunt, ut ostenderet, quem elegisset, & ostendit sorte, profecto si vnum statuissent, nunquam hoc a Deo petissent, ut ostenderet, quem elegisset, quin potius statuere vnum, hoc fuisset eligere, & quem ipsi, tanquam ministri elegissent, Deus primum, tanquam Dominus elegisset, at Apostoli neutrum eligunt, sed discernunt duos, ut hic noster loquitur, siue statuunt duos, & de electo non prius facti sunt certi, quàm Dominus sortito declarasset. quod ergo illic in duobus factum est, Laudator meus in vnus persona, quam homines statuerint, siue decreuerint, fieri vult, & quidem cum magno scandalo, ut mihi videtur, periculum. n. est, ne hoc quoque similiter quis dicat, cum sacerdos peccator absoluit pœnitentem, nihil aliud facere, quàm discernere personam, cui Deus gratiam remissionis conferat. Atque ita simili errore nuda quædam excogitabitur absolutio, præsertim cū Sacerdos peccator nõ videatur posse dare ministerio suo id, quod non habeat, id est gratiam Dei, qua ipse careat, hoc. n. vulgi prouerbiũ sempervidetur in ore habere. Laudator meus, nemo dat, quod nõ habet. quod quidẽ distinguere debebat vir alioqui sapiens, & acutus, scilicet nemo dat de suo, quod non habeat, nemo item dat, tanquam Dominus, de alieno vero, & quatenus minister, quid prohibet, quominus ministerio suo aliis tribuat, quod quidem minister non habeat nisi ad dispensandum? Ergo postquam ille sententiam suam de nuda illa electione Pontificis per homines, Deo immediate potestatem illi conferente, &

de Episcopis immediate non a Deo, sed a Pontifice factis iterum repetiuit, hæc subiunxit, quæ iterum recitabo. Si autem hunc meum sensum reprehendit, ut certe facit, volens Pontificatus gratiam, & potestatem per electores venire, eo modo quo potestas Episcopalis a Pontifice descendit in singulos, non me reprehendit, sed ipsos summos Pontifices, & Ecclesie doctores, & hereticis fauet. Iterum tacet, quos Pontifices reprehendat, quos veneror omnes, & quos doctores Ecclesie, quos quidem quanto possum studio & pietate sequor. Imo ipse, ut puto, contra illos docet, & contra sanctam Dei Ecclesiam, cum docet conferri a Deo Pontifici primū, & immediate Pontificatum non ministerio proprie, & canonice eligentium, sed discernentium personam, Item Episcopos non fieri a Deo immediate, & primum ministerio Pontificis eligentis, aut electionem approbantis. quibus vero hæreticis hic fauere illi viderer, supra significarat, cum de me dixit. Fuit hæc olim fallacia Luteri, qui ut probaret, Pontificis potestatem non esse immediate a Deo, sed per Ecclesiam, ut illam Ecclesie subderet, produxit electionem, ut per hoc suaderet rudibus, & idiotis, tanquam qui eligunt, ipsa electione etiam conferant potestatem. Hæc ille. Quemadmodum faueo Lutero, qui tot rationibus probo Pontificis, & Episcoporum potestatem immediate esse a Deo? Quod vero velim Pontificem Ecclesie subdere, iam nemo hoc suspicabitur, qui libros tres meos mediocri diligentia compositos de summa Pontificis supra concilia auctoritate legerit. Laudator vero meus cum fortasse nesciret aliter Lutero respondere, in hoc dogma nouum, ut mihi videtur, incidit, & incidisse quidem mirum non esset, sed nolle contra dicentem audire, & cum iracundia refelli, hoc mirum est. Sed videamus iam, quid responderit ad locum illum de verbo, immediate, quod si reprehendor, inquit, de verbo, quod minus proprie vocem illam, immediate, acceperim, debuit non adeo dure mecum agere, cum ita discrete ipsum meum sensum explicauerim, ut non esset periculum vllum in dogmate propter vocabulum. Neque tamen ego primus usus sum hoc verbo in eum sensum, sed quotquot scholasticorum scripserunt, potissimum autem beatus Thomas,

Thomas, ut demirer hominis inscitiam, & audaciam. Hic iam fortasse, quia existimauit questionem esse mihi de verbo, humane, ac modeste se reprehendi patitur, modo non dure secum agatur. Verum mihi non est questio de verbo, sed de re, & dogmate, in quo tradendo non est homonymie, & ἀδυνατότης vtendum verbum, sed proprie. At excusat scholasticorum consuetudinem, & in primis diui Thomæ, quam se ait secutum, & idcirco inscitiam meam, & audaciam mirari, verū de Thoma, vsum esse hoc verbo, ut à philosophis didicerat, & ut ego vtendum esse affirmo, paulo post indicabo. Deinde subiungit, Quod si obiicit mihi Aristoteli, qui immediatum vocat, quod non habet causam priorem, ego rursus obiicio illi Thomam, sed videamus quomodo obiicit, quia, inquit, Thomas dixit, habere Episcopos immediatam potestatem in sua diocese, quod esset falsum iuxta istius datam vocis significationem, cum causa potestatis Episcoporum immediata, & prior sit Diuina virtus, quam Episcopus administrat. Hæc ille. Cōcedit verbi immediate proprietatem ex philosophis sumptam, & statim velut immemor, contra hanc proprietatem obiicit Thomæ vsum, & consuetudinem, debebat potius iudicio meo, considerare acrius quemadmodum sumpto verbo proprie, verum esset, quod Thomas diceret, & quatenus non verum esset, nisi existimat, quicquid Thomas dicat, quocūque modo id dicat, verum esse. Ergo quod ait Thomas, ut verum existat, sic est accipiendum, habere Episcopum in sua diocese potestatem immediatam, scilicet post Pontificem, Pontifex enim habet immediatam potestatem in diocese Episcopi, id est, post Deum, ita ut simpliciter immediata, & prima potestas ibi sit Dei, infra Deum immediata & prima potestas Pontificis, tanquam ministri, infra Pontificem immediata potestas Episcopi. Rursus obiicit mihi Thomam adhuc modum, quam ob rem, inquit, negat Pontificem immediate ponere pastores, siue Episcopos in Ecclesia, sed hoc Deum facere, errauit ergo iterum beatus Thomas, cum reprehendit eos, qui dixerunt, Deum operari omnia immediate &c. Imo bona eius pace dicam, errauit ipse, ut existimo, qui putauit, dissidere mecum hoc

loco Thomā, sed videamus quemadmodum illos, quos dicit, reprehēdit Thomas. Hęc, inquit, eius verba sunt, Est opinio quorundam, quōd Deus omnia immediate operetur, ita quod nihil aliud est causa alicuius rei a Deo, sed hęc opinio stulta est, quia ordinem tollit vniuersi, & propriam operationem a rebus, & destruit iudicium sensus. Hęc sanctus Thomas. Merito quidem reprehendebat Thomas eos, qui ponerent operari Deum omnia immediate, ita vt nihil aliud esset causa alicuius rei præter Deum, sic enim in eo loco verbum immediate accipere voluit, at nos ne sic quidem dicimus Pontificem, & Episcopos immediate fieri a Deo, nedum cætera omnia, ita vt præter Deum nulla alia sit causa Pontificis creandi, & Episcoporum, immo est præter Deum, eorum alia causa, non quidem princeps, & domina, sed ministra. Deinde subiungit, Vnde cōcludit Thomas, quod Deus est, solum causa immediata eorum, quæ per generationem non cœperunt esse. Hoc sanctus Thomas, nunquam conclusit, sed vt demus conclusisse, respondebo, sic eo loco Thomam verbum, immediate, accipere voluisse, id est, minus proprie, vt alio in loco de se & sancto Thoma Laudator meus confessus est. At in dogmate tradendo proprie potius accipiendum est, ne propter homonymiam, & adiaphoriam vocis de Ecclesiastico dogmate quæstio, & sententia non Ecclesiastica aliquando oriatur, vt nunc orta est. Sed quæram a Laudatore meo, vtrum charisma Episcopatus incipiat esse per generationem, non credo dicet spiritualia generari, fuerit ergo hac ratione Deus causa immediata charismatis Episcopatus, quia scilicet sit immediata eorum causa, quæ per generationem non incipiunt esse, vt à Thoma concludi confitetur. Deinde sequitur, & nihil prohibet respectu diuersorum eadem Deum operari & mediate, & immediate. Nescio, quorsum hoc meminerit, nisi fortè mihi iam concedens, similiter Episcopos immediate, & mediate fieri a Deo. Paterer, modo diceret, aut saltem dicendum esse putaret, fieri quidem Episcopos a Deo proprie immediate, id est primum, non proprie vero, mediate, quia scilicet per ministerium hominis, proprie enim mediatum est non primum, sicut proprie im-

mediatum primum. Deinde explanans, quod dixerat, nihil prohibere, operari Deum mediate, & immediate respectu diuersorum, Nam multa, inquit, mediate per creaturas facit, si supposita respiciamus, sin autem operationis virtutem, ipse tanquam intimior causa, & principalis attingens omnem effectum, immediate dicitur operari. Et subiungit, Hęc me docuit sanctus doctor. Me vero hęc docuit idem sanctus doctor libro. iii. summæ contra gentiles. c. 70. quæ ad verbum recitabo, ne quæ ille prætermittit, & mirifice mecum faciunt, dissimulentur. Sicut agens, inquit, infimum inuenitur immediate actiuum, ita virtus primi agentis inuenitur immediate ad producendum effectum. Nam virtus infimi agentis non habet, quod producat hunc effectum ex se, sed ex virtute superioris proximi, & virtus illius ex virtute superioris, & sic virtus supremi agentis inuenitur ex se productiua effectus, quasi causa immediata, sicut patet in principis demonstrationum, quorum primum est immediatum. Sicut ergo non est inconueniens, quod vna actio producat ex aliquo agente, & eius virtute, ita non est inconueniens, quod producat idem effectus ab inferiore agente, & a Deo, ab utroque immediate, licet alio, & alio modo. Hęc Thomas. Nusquam hic sanctus Thomas sic locutus est, Deum operari mediate per creaturas, quod Laudator meus ex Thoma se ait didicisse. Tametsi enim factum sit, omnia Deum operari immediate, ita vt nulla alia sit vllius rei præter Deum causa, quod satis idem Thomas proximo superiore capite, id est, 69. refellerat, tamē non cōtinuo sequitur, ut Laudator meus fortasse sequi suspicatus est, si sint aliæ præter Deum causæ, ut quidem sunt, & in natura rerum cernuntur, ergo Deum operari mediate, quod quidem vel ex hoc capite. 70. clarissime potuit intelligere. Immo tradit, eundem effectum immediate produci a Deo, ut primo effectore, est enim immediatum primum, ut idem quoque Thomas hoc loco ait, quod quidem ex Aristotele didicerat, & immediate ab infimo agente, non tamen proprie immediate, sic enim intelligendum est, quia scilicet infimum agens extremum est, & extremum mediatum, sicut immediatum primum. Ex iis ergo, quæ san-

Etus doctor tradit, & docet hic, potius concluditur, operari Deum immediate per creaturas, tanquam primum effectorem, quam quod laudator meus concludi suspicatus est, Deum operari mediate per creaturas. Hoc illum credo fefellit, quod obscurius diceret Thomas, ut agens infimum inueniri immediatum actiuum, ita uirtutem primi agentis inueniri immediatam ad producendum effectum. Quod Laudator meus fortasse interpretans, Multa, inquit, mediate facit Deus, si supposita respiciamus. Non enim uidetur intelligere potuisse, quemadmodum infimum agens immediatum actiuum esset, si Deus agens per illud immediatum actiuum, esset quoque effector immediatus, non, inquam, intelligebat, posse esse duo immediata respectu eiusdem effectus, ut qui dem possunt, tametsi non eodē ordine. Tradit itaque Thomas eundem effectum ab agente infimo, & a Deo immediate produci, ergo ponit in uno effecto duos efficientes immediatos, uerbi gratia, in calore ignem, & Deum. Deus enim est immediatus, quia primus, in quo uiuimus, mouemur, & sumus, & ex quo omnia & per quem omnia, & in quo omnia, agens autē infimū, & ultimū in ordine illo & illa ratione ac respectu Dei nō est immediatū, quia neque primū, imo (ut ita dicā) mediatissimum, quia extremum, tametsi in ordine creaturarum propius attingentium effectum primus ignis ille fit, & ideo immediatus dicatur. Hæc sunt, quæ sanctus doctor hoc loco docet, non illa Laudatoris mei, quæ omnia Thomistis relinquo acutius, & subtilius limanda, & corrigenda. Idem quoque tradit idem sanctus doctor in quæstioni

- » bus latius disputatis, Quæst. iii. art. vii. si enim, inquit, confi
- » deremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est
- » immediatum ad suum effectum, si autem consideremus uir
- » tutem, qua fit actio, sic uirtus superioris causæ erit immedia
- » tior effectui, quam uirtus inferioris. Et in Resp. ad iii, ipsa, in
- » quit, naturæ operatio est etiā operatio uirtutis Diuinæ, si
- » cut operatio instrumenti est per uirtutem agentis principa
- » lis. Et in Resp. ad iiii. Tam Deus, inquit, quam natura imme
- » diate operantur, licet ordinentur secundum prius, & poste
- » rius, (quia scilicet prima, & immediatior causa est Deus)

Quis hæc, quæso, secutus, & imitatus, Episcopos a Deo quidem mediate, a Pontifice uero immediate fieri dicat, ut Laudator meus dicit? & solum Episcopatum Romanū immediate a Deo applicari personæ, quasi reliquus Episcopatus mediate applicetur a Deo, immediate autem a Pontifice? Etenim si ut Thomas quoque ait, Deus est causa actionis cuiuslibet rei naturalis mouens, & applicans uirtutem ad agendum, ut quidem necesse esse, in eadem Disputatione Quæstionis iii. demonstrat, quanto magis fuerit causa actionis rei supra naturam, ut in Charismate Episcopatus, mouens scilicet & applicans uirtutem, siue potestatem Pontificis creandis Episcopis? Quod si applicat Deus uirtutem Pontificis, idque immediate, ad creandum Episcopum, applicat ergo similiter Episcopatum immediate. Quæ ergo uerborum nouitas est, solum Episcopatum Romanum immediate a Deo applicari personæ? Sequitur alius locus, in quo Laudator meus existimauit me mecum discrepantem, concedere tandem, quod ille defenderet. Scripseram ego pagina. 13. quicquid dominus aliis potestatibus ecclesiasticis, & spiritualibus tribuit, non nisi per Pontificem tribuisse, accepisseque de eius potestate cæteros partem, non quidem ab eo, scilicet Pontifice, tanquam primo auctore, & datore, sed a Deo per eum, scilicet Pontificem, qui quidem, si ita loqui libet, dicatur mediate facere Episcopos tanquam minister. Hæc ille simplicem, & rectam compositionem uerborum peruertens, qui, retulit non ad proximum, id est, ad Pontificem, sed ad Deum, & illud tãquam minister, quod omnem ambiguitatem tollere poterat, omisit, subiungens, postquam mea licet non integre, eodem tamen quo erāt ordine collocata, recitauit, Quod enim ait a Pontifice dispensari omnem potestatem spiritualem, & quicquid Dominus aliis tribuit, & Deum dispensare mediate per illum, recte dictum est, & seruit nobis, hoc enim est quod & nos dicebamus, & ille reprehendit. Nunquam illum mirari desino, sic mea negligenter legisse, ut hæc scriberet. Affirmaui semper, & affirmo, Deum immediate, & primum facere Episcopos, mediate uero facere, ut dicam, tanquam profanam nouitatem uerborum cauebo semper,

Pontificem uero, dixi sic, si liberet uti hoc verbo mediate, facere Episcopos tanquam ministrum mediate, quia non primum, sunt enim proprie immediata, quæ prima, mediata uero, non prima, sed secunda, tertia, & deinceps usque ad extrema, sed de hoc satis supra. Quæbam paulo supra a Laudatore meo, quando cum illo nude electionis monstro conflegebam, si eligentes Pontificem, ut ille aiebat, tantum personam discernent, cui potestas absque ullo alio medio tribueretur, quid plus agerent, quam plebs in Episcopis, cum, ut aiebam, iuxta Leonis magni decretum, plebs petit, & clerus eligit, similiter. n. plebem eligere, id est, solum discernere personam. Et quia fortasse nihil plus agere, facile concessurus videretur, idemque esse petere, & eligere, promisi me tunc copiosius adhuc, & distinctius paulo post de hoc loco suo dicturum, qui nunc sequitur. Ait. n. Laudator meus. Et tamen hic propheta ignorauit, aliud esse constituit, auctoritatem, & potestatem impartit, qui autem eligit, solum ostendit, cui sit auctoritas, & potestas impartienda, unde neque Episcoporum sola electio facit ullos esse Episcopos. Solebant. n. plebes aliquando eligere, sicut. vii. illi Dionii electi sunt a multitudine, & ideo non statim acceperunt potestatem, quam multitudo dare non poterat, quia non habebat, sed ubi ab ipsis Apostolis electio probata est, & per manus impositionem ordinati sunt, tunc acceperunt potestatem. Hactenus ille. Hic iam non solum Laudator meus nudam illam suam electionem Pontificis sine collatione potestatis Papalis rursus ponit, sed nudam quoque electionem Episcoporum sine collatione potestatis Episcopalis cuius legenti fortasse ponere videatur. Ait. n. qui autem eligit nempe Pontificem, de hoc. n. loquebatur, & hoc defendebat, solum ostendit, cui sit auctoritas, & potestas impartienda, quæ est nuda electio Pontificis, ut in priore libro appellauit, deinde subiungit, Unde neque Episcoporum sola electio facit ullos esse Episcopos, concludens, & ponens item in Episcopis similem electionem solam, siue nudam sine collatione potestatis Episcopalis, id est, quæ similiter atque in Pontifice sit sola ostensio personæ, cui

fit auctoritas, & potestas impartenda, sine qua non existit Episcopus. Deinde subiungit, solebant. n. plebes aliquando eligere, ubi iam in Episcopis eligendis neque electionem cleri a petitione, siue electione plebis distinguit. Sed age, si qui Pontificem eligunt, nihil præterea faciunt, quam ostendere, cui sit auctoritas, & potestas tribuenda, sequitur, ut plebs petens, siue statuens eundem eligendum, similiter eligat, atque ita nihil plus eligentes Pontificem, facere videantur, quam petere eum, quem Pontificem uellent, ut nos, quod si solum petunt, qui sunt, qui eligunt? Cum. n. populus petit, alius est petens, alius eligens. Vel ergo non eligitur Pontifex, vel petere est eligere. ergo & nos, qui in conclaue, quod uocant, non ingredimur, Pontificem quoque eligimus, quia petentes discernimus personam, cui sit auctoritas, & potestas impartienda. Item si solum eligere Episcopum, est ostendere, cui sit auctoritas, & potestas Episcopalis tribuenda, ut Laudator meus, licet neget, uoluisse uidetur, cum plebs petens, siue presentans ostendat, cui sit auctoritas, & potestas tribuenda, ut cum eodem tempore clerus eligit, item ostendit, rursus sequitur, ut petere sit eligere, quod non credo Laudator meus concedet, ne alioqui iuris prudentissimus tam multa summorum Pontificum de postulatione, & electione capita in unum confundere uideatur. Necesse ergo est, eos, qui eligunt, aliud aliquid agere, cum eligunt, quam cum laici, aut alii petunt, siue presentant; id est, aliud, cum illi decernunt personam eligendo, quam cum hi decernunt petendo. Nempe qui eligunt canonice, potestatem tanquam ministri Christi, & Pontificis summi comministri tribuunt, ministrantes, sicut ait Scriptura, ex virtute, quam Deus dat, qui uero item canonicè postularunt, ac populariter elegerunt, desideria, & uota sua, ac testimonia solum ostenderunt. Profana itaque uerborum nouitas, schismatis præterea, & Hierarchici contemptus seminarium est, quod dicitur eligere, solum esse ostendere, cui sit auctoritas, & potestas tribuenda, quasi electio Ecclesiastica non sit ministerium potestatis Ecclesiasticæ tribuendæ, neque electio cleri a postulatione populi seiungatur, subiungit. n. Unde neque Episcoporum sola electio facit ullos esse Episcopos,

solebant. n. plebes aliquando eligere. At ecclesia Dei sancta, columna, & firmamentum veritatis talem sententiam, & cōsuetudinem non habet, quæ non nouit aliam electionem solam, siue nudam in Episcopo vllō, nisi eam, quæ sine consecratione est, quæ petitionem ab electione discernit, & non Episcopos petitos, sed Episcopos canonicè electos habet, & honorat, quos sola sine consecratione electio canonica a Pontifice, aut nomine Pontificis confirmata facit, & cum electione consecratio in omne opus ministerii Episcopalis ad cōsummationem sanctorum Episcopos perficit. Plebs vero in Ecclesia Dei nunquam sic canonicè elegit, immo neque eligere potest, sed tantū considerare viros boni testimonii, & eos statuere, siue vt nunc loquimur, nominare, præsentare, aut postulare, vt scilicet, qui eligendi sunt, bonum ab ea in primis testimonium habeant, deinde etiam ab iis, qui foris sunt, vt sic vel testimonio canonicè postulantium, uel suffragiis canonicè eligentium probentur primum, & sic Pontifice confirmante, ac constituente, ministrent. Dicere autem plebem aliquando elegisse Episcopos, aut posse modo, ad hæresim de inuestitura ecclesiastica a laicis accepta pertinere potest, quam Romana synodus Clemēte. 7. Pontifice damnauit, & hoc nomine affecit, vt etiam Goffridus Vindocinensis Abbas vetus auctor, & valde in Scripturis sanctis eruditus in libro de Ordinatione Episcoporum, & inuestitura laicorum ad Petrum cognomento Leonem Ecclesiæ Romanæ Cardinalem scripsit, & in epistola. 17. ad Pascalem Pontificem de pacto inito cum Rege Teutonico. Auctoritas. n. potestatem Ecclesiasticam, & spiritualem eligendi, ac consecrationem faciendi non a lege sæculari, sed a lege illa Euangelica de pascendis ouibus ortum ducit, quæ lex ad laicos, siue sæculares non pertinet, & qui pertinere dicat pertinaciter, vtrūque statū Ecclesiasticū, & sæcularem miscet, & perturbat hæretice. Plebes itaque, aut principes sæculares, qui in locū plebis successisse videtur, Episcopos neque eligunt, neque eligere proprie dicuntur, sed petere, aut nominare, aut præsentare, siue statuere. petere autē, inquit Goffridus, nō est eligere. Fortasse. n. erāt suo sæculo, qui etiam ipsi electionem cleri a plebis postulatione, non distingu-

guerent,

guerent, & qui hoc dicerent, quod nunc audimus, petere, siue præsentare, id est, ostendere, cui sit auctoritas, & potestas impartienda, hoc solum esse eligere. Vnde fortasse nata est, vel certe nasci potuit illorum pestifera sententia, & sermo schismaticus, de quibus Celestinus. iii. qui correctionem, inquit, Ecclesiasticam per contemptum eludunt, dicentes electo, quod potestatem nō habeas corrigendi, scilicet ministerio electionis collatam, nisi tibi, inquit, specialiter Apostolica sedes indulserit. Quare teneamus, eos, qui Episcopos eligunt canonicè, auctoritatem, ac potestatem Episcopo electo conuenientem, tanquam ministros Christi, vna cum Pontifice eorum electionem confirmante tribuere, id est, Pontificem cum eligentibus canonicè, Episcopos constituere, sicuti cum electio ad Pontificem, vt nunc loquuntur, deuoluta est, per se quidem illum Episcopos constituere, non autem cum postulantibus, siue nominantibus, id est, ostendentibus solum cui sit potestas tribuenda, at eos, qui Pontificem eligunt canonicè, eosdem etiam per se Pontificem canonicè super Ecclesiam catholicam constituere. Licebit. n. hic dicere, quod Alexāder iii. de electione Pontificis ait, in Romana Ecclesia ideo speciale aliquid constituitur, quia non potest ad superiorem recursus haberi, quia inquam non est Pontifex, qui electionem confirmet, & cum eligentibus Pontificem cōstituat, idcirco qui canonicè eligunt in Papam, vt Laudator meus loquitur, iidem Papam constituunt. Neque. n. hæc duo distinguenda sunt, vt ille vult. Aliud. n. inquit, est eligere in Papam, aliud, constituere papam. Præstasset distinguere electionem, & dicere, aliud esse eligere proprie, aliud eligere cōmuniter, ne illud statim confule subiungeret, qui autem eligit, solū ostendit, cui sit auctoritas, & potestas impartienda. quod quidem male sumpsisse mihi videtur ex eo, quod beatus Lucas de electione. 7. Diaconorum a multitudine facta, cuius Laudator meus hoc loco meminit, scripsit, & Elegerūt, inquit, Stephanum virum fide & Spiritu sancto &c. illa enim multitudo solum ostendit suo testimonio, quibus esset ab Apostolis potestas tribuenda, vnde omnem electionem Ecclesiasticam fortasse Laudator meus huiusmodi esse putauit, alioqui non di-

F

xisset de electione Pontificis, loquens, qui autem eligit, solum ostendit, cui sit auctoritas, & potestas impartienda, neque de electione item Episcoporum subiunxisset, Vnde neque Episcoporum electio sola facit illos esse Episcopos, huiusmodi. n. sola electio sine auctoritate, & potestate vlla Episcopali non est electio proprie, per collationem meritorum punctis, aut calculis, aut alio modo in Ecclesiis fieri solita, quod Græci dicunt *ἡφίσταται* quæ si canonica est, & ei nihil deest, Græcis *κατάστασις* & *πρόσληψις* est, Latinis constitutio, & assumptio. Electio vero cōmuniter, separatio quædam est considerata, quæ significatio frequens quoque est in Scripturis, & in sanctis doctoribus. Huiusmodi electionis vim habet, quæ a nostris hodie postulatio, nominatio, & præsentatio dicitur, qualis fuit electio illius multitudinis in historia Lucæ. Cum. n. vellent Apostoli. 7. Diaconos sacrorum ordinare, vt legitime ordinati Diaconi, mensis etiam fideliter ministrarent, & panes per domos pauperū frangerent, vt iuxta canonem. 41. Apostolorū, per Presbyteros & Diaconos omnia pauperibus dispensarentur, ne cito illis manus, sicut Apostolus Paulus præcipit, id est, sine probatione imponerent, iusserunt multitudini, vt consideraret viros boni testimonii, sicut Apostolus ait de Diaconis eligendis, & hi, inquit, probentur primum, & sic ministrent, sic inquam, id est, probati primum testimonio populi, deinde facta ordinatione per manus impositionem ab Episcopo, quæ ordinatio Græce *χειροτονία* dicitur. Considerate ergo, inquit, viros ex vobis. 7. boni testimonii, quos constituamus super hoc opus, non dixerunt, eligite, aut constituite nobiscum, sed considerate viros ex vobis. 7. boni testimonii, vt iam cum Lucas subiungit, & elegerunt Stephanum &c. id multitudinem fecisse intelligamus, quod eis fuerat ab Apostolis iussum, ac non amplius, nempe considerare viros boni testimonii, & quos inter cæteros tales esse iudicarunt, hos ex omnibus elegisse, id est, segregasse, & sic electos, ac segregatos presentasse Apostolis, vt hodie loquimur, hoc. n. significat, & statuerunt coram Apostolis, qui illos cū precibus, & impositione manuum Diaconos ordinarunt, & super opus mensarum constituerunt. Vnde ex

pressam credo alteram partem illius canonis Apostolorum, 41. cuius supra memini, de bonis Ecclesiæ ab Episcopo per sacros Diaconos in usum pauperum dispensandis. Quare, vt hoc quoque obiter ad vtilitatem legentium annotem, quod nescio, quomodo oblitus, in libro meo de. vi. synodi canonibus prætermisi, non puto tenendum esse, quod beatus Chrysostomus in Commentariis act. Apost. scripsit, non esse in Ecclesia huiusmodi ministerium, & officium mensarum in Diaconis sacrorum, neque Canonem. xvi. synodi. vi. quæ huius patris auctoritatem secuta, docet, & doctrinam Canone sanxit, non fuisse illos. vii. Diaconos sacrorum, sed tantum ministros mensarum, quod ab Ecclesiæ Catholicæ sensu alienum est, quæ cum Diaconos ordinat, beati Stephani exemplū proponit, Cogitate, inquit ordinator, beatum Stephanum merito præsertim castitatis ad officium istud electum, & cum precatur, Vt existant, inquit, digni gradu, quo in septenario numero beatum Stephanū Apostoli elegerunt. Sed pergamus iam ad ea, quæ sequuntur. Multa, inquit, prætereo ab hoc viro incōsideratissime dicta, quia nimis longus esset sermo, & longæ ambages, tum quia ab iis, quæ iam sunt confutata, poterunt multi eius errores agnosci, atque emendari. Hæc ille. At ego tametsi ex his, quæ hæcenus a me sunt notata, qualia essent reliqua, possem relinquere cogitandum, tamen ea non præteribo, nihil, inquam, prætermittam, ne incauti errent, & vt saltem libri huius lector vel agnoscat veritatē, si eam tradimus fideliter, vel si ignorare voluerit, ignoretur, & inexcusable sit. Laudator vero meus, si ea quæ in libro meo præterisse significat, quæ notare potuisset, aliquando rursus notare voluerit, & fortasse corrigere, non poterit non prodesse & mihi, & cæteris, & sibi primum, sicut scriptum est, laborantē agricolam oportet primum de fructibus accipere. Sed pergamus vterius ordine. Rursus quod tradit de potestate spiritali immediate a Deo, aut mediate, id est, per hominē, vt ille interpretatur, auctoritate Pauli, vt sibi videtur, cōfirmans, Ipse (inquit) beatus Paulus sciens, neminem prædicare posse, nisi mittatur, & quidem hoc amplius sciens, multum interesse inter eam missionem, quæ a Deo esset immediate, & illam, quæ

mediate veniret per hominem, licet & hæc legitima sit, & rata, ille vt suam Apostolicam missionē exaltaret, sic intonuit, Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominē, sed per Iesum Christum, & Deum patrem. Vbi secundum Ambrosium negat se missum ab Apostolis, qui multos mittebat, quoniam non ita honorabilis fuisset illa missio, tanquam non immediate a Deo. hæc ille. Recte quidem Ambrosius Pauli locū interpretatus est, sed male Laudator meus Ambrosium. Mittebant quidem Apostoli alios, in quorum locum successerūt Episcopi, sicuti Archiepiscopi, infra quos sunt Episcopi, in locum Apostolorum, quod, vt traditum est, symbolice significat pallium illud, vt vocant, quod sumptum de corpore beati Petri a Pontifice Petri successore ad Archiepiscopos Apostolorum successores mitti solet, verū minores illos Episcopos, quos Apostoli, vt dixi, mittebant, Spiritus Dei, qui erat in Apostolis, primum, & immediate per eosdem Apostolos tanquam ministros mittebat. itaque quia Pseudoapostoli Apostolatus Pauli obirectatores, & æmuli, hoc fortassis in inuidiam eius iactabant, quasi esset de eorum numero, quos Apostoli mitterent, idcirco Paulus affirmat, & profitetur nō esse, alioqui nō ita honorabilis esset eius missio, vt recte hoc Laudator meus, nisi interpretandi gratia, male illud addidisset, tanquam, inquit, non immediate a Deo, quasi omnis a Deo immediata missio æque honorabilis esset, cum tamen Christus Duodecim miserit, & post hæc, sicut scriptū est, designauit Dominus alios. 72. Discipulos, & illos misit. &c. quorum missio non fuit æque honorabilis, licet immediate a Deo. Non itaque missus est Paulus ab Apostolis, atque ita non ab hominibus. Illud vero quod sequitur, neque per hominem, optime mihi interpretari videtur Eusebius Cæsar. primo aduersus Marcellum Ancyranum libro. Quia, inquit, Galatæ Christum putabant hominem *ἄνθρωπον*, idcirco statim in principio docet, nō esse solum hominem, cum ait, neque per hominem, Et paulo post idem Apostolus de Euangelio suo ait, nō esse secundum hominem, neque ab homine accepisse illud, sed per reuelationem Iesu Christi. quia vero nulli alii erant similes Galatis in hac fide, idcirco nullā ad cæteros alios epi-

sciam sic est orsus. Hæc Eusebius. Non ergo missus fuit Paulus per hominem, siue ab homine tantum, sed a Filio Dei facto homine, neque iam amplius mortali, sed immortalī per resurrectionem, quod etiam significat illud, neque per hominem, vt in alio loco dixit idem Apostolus, Et si Christum cognouimus secundum carnem, id est mortalem, sed iam nō nouimus, vnde statim subiūgit sed per Iesum Christum & Deū Patrem, qui suscitauit eum a mortuis. quod quidē ideo mihi meminisse etiā videtur, vt notaret tēpus missionis suæ, sicut Prophetæ solebat, perinde atque diceret, missū se esse ab homine Deo, Christo Iesu post resurrectionē suā, tūc. n. placuit Deo Patri reuelare Filiū suū in Paulo, id est, per Paulū vas electiōis, vt scilicet portaret nomē eius corā gentibus, & Regibus, & filiis Israel. Deinde Laudator meus multis ex libro suo de Residētia recitatis, & repetitis, quæ satis nos libro nostro quantum existimo, refellimus, subiungit, Nūc audi benigne lector, quōd talis Residētia non sit a iure Diuino præcepta, manifestum est, quia quæ sunt a iure Diuino præcepta, in dispensabilia sunt ab homine, neque sub eius arbitrio concluduntur, modo nemo negare potest, quōd multa Episcopis imponuntur, quæ personale illam, & assiduam Residētiā prohibent. Hæc ille. Verissimū est quod Leontius Cyprius scribens aduersus Acephalos, non loqui proprie, inquit, sæpe discrepantiam efficit in dogmate. Quare si dispensare sit solvere, siue transire, quod valde durum est, & a proprietate verbi alienum, præcepta Dei non sunt dicenda dispensabilia, quia solui, aut transiri non possunt, si vero dispensare, proprie dicam, quod Græce *αἰκονομεῖν*, profecto dispensatio prudens, & spiritualis, id est œconomia cadit in præcepta Dei, quorū ratio dirigenda est ad ædificationem. Est autem œconomia, vt est in Clemētis Romani diffinitionibus ab Anastasio Antiocheno collectis, quas *ἀραυς* vocauit, quando quod omnino, & simpliciter fieri non debet, fit tamen propter *συγκρατάβασιν* & salutem aliquorum, vt cum Paulus Timotheum circumcidit, vt Iudæos alliceret, non præcepti violatio, neque Euangelicæ legis præuaricatio fuit, sed dispensatio, & œconomia. multa alia huiusmodi exēpla sunt. Huiusmodi est, cū



ad vtilitatem non mediocrem suæ, aut aliarum ecclesiarum ad breue tempus necesse est Episcopo abesse. dispensatio enim, & œconomia præcepti Diuini est, nõ præuaricatio. Quare cum Laudator meus ait, multa Episcopis imponuntur, quæ personale illam, & assiduam Residentiam prohibent, siquidẽ ad breue tẽpus prohibent, & si illa multa, quæ imponuntur Episcopis, ad vtilitatem Ecclesiæ suæ, aut aliarum non paruã spectent, profecto dispensatio, & œconomia est, quæ, salua lege Diuina præsentia pastoralis, suscipitur. Quod vero sequitur, quomodo ergo posset mihi dicere Papa, sta hic, aut veni huc, si Deus mihi sua voce dixisset, vade illuc, aut sta ibi? respondebo dubitanti, & quærenti, rursus ab eo aliquid quærens, vnde fortassis intelligat, quod nunc dubitare videtur. Si spiritus Dei, qui erat in discipulis illis, dicebat Paulo, ne ascenderet Hierusalem, sicuti scriptura Lucae narrat, quemadmodũ potuit Paulus ascendere? quod quidem perinde erat, atque diceret Deus Paulo, ne eas illuc, Paulus vero diceret, ibo illuc. Explanat hunc locum sanctus Maximus in altero ex duobus libris, quos ad Thalassium de quibusdam locis obscuris Scripturæ sanctæ scripsit, interpretabor latine, Cum ascendit (inquit) Paulus Hierosolyma, non est dicendum, quod Spiritui sancto nõ obedierit, sed quod illi discipuli ex charismate charitatis erga proximum, de Paulo prophetauerunt, Paulus vero ascendit ex charismate excellentiore charitatis erga Deũ, & ex charismate Apostolico præstantiore, quàm esset charisma Propheticum, non curans pericula euentura, docens præterea, minus debere maiori cedere. Hactenus Maximus. Adhunc modum licet hic dicere, cum propter magnam vtilitatem ad breue tempus abesse pastori necesse est (nam vt in libro meo dixi, perpetua, aut etiam diuturna absentia nulla potest non pestifera esse) tunc & Spiritus dicit, vade illuc ad Ecclesiam tuam, & Papa potest dicere sta hic. illic est charisma charitatis erga gregem suum, hic charisma maioris charitatis aut erga Ecclesiam suam, ad cuius maiorem vtilitatem cõtingere posset, vt pastori eius ad breue tempus abesse necesse esset, aut erga Ecclesiam vniuersalem, aut alias priuatas Ecclesias. Illud vero, quod de me subiunxit, inquit, Nititur. n. ho-

mo iste suadere, quod quando mihi, & cuilibet Episcopo dicitur, vade, & prædica populo Dei, illud non homo mihi dicat, sed Deus solum organo hominis vtens, & ideo perinde omnino esse, ac si Deus immediate illud mihi, & non per hominem dixisset, quod est peruertere Dei ordinem, & Hierarchiam ecclesiasticam &c. Neque verba neque sententiam recitat meam, sic. n. pagina. 15. scripseram, Non intelligetes, cum dicitur Episcopo, vade prædica populo tibi commissio, hoc quod auditur, dici quidem a ministro, & dispensatore mysteriorũ, idem vero immediate, & primũ interius, ac spiritualiter a Domino dici, vbi ergo legit me dixisse, quod illud vade, & prædica populo tibi commissio, nõ homo mihi dicat, sed Deus solum hominis organo vtens, & ideo perinde omnino esse, ac si Deus immediate, & non per hominem dixisset? At fortasse non dixi, sed vt necessario mihi dicendum esset, argumentis, & rationibus effecit, & cõclusit, vt simile esset, atque illud, quod ego illum in principio libri mei dicere scripsi, Episcopos scilicet non a Deo, sed a Pontifice fieri, quod quidem nõ dixerat verbis, sed ita illi necessario dicendum esse, paulo post concludendum, & demonstrandum erat, vt quidem quantum opinor, conclusi, & demonstraui, ut supra admonui. At vbi quæro Laudator meus argumeta, & rationes de hoc attulit? qui fere nunquam nisi conuitis, vt ipse videt, mecum agit. Ego calumniam nõ appellabo, malo obliuionem dicere. Rursus ego in eadem. 15. pagina clarius adhuc, si clarius dici poterat, sic scripsi, Cum. n. minister pronũciat, vade, Dominus est, qui tanquam auctor, & dominus ire præcipit. Si hunc locum cum proxime superiore iunxisset, ac comparasset, hæc verba, & hanc sententiam Laudator meus habebat, homo est, qui tanquam minister, & dispensator dicit hoc, quod auditur, vade. &c. Dominus vero, qui tanquam auctor, & Dominus, sicuti beatus Chryostomus loquens de ordinatione. 7. Diaconorum, Dei, inquit, manus est, quæ illius qui ordinatur, caput contingit. Quem admodum vero illud Dominus diceret, vade. &c. pagina. 18. his verbis explicauit, Transisse ergo Diuinã vim horum verborum, Pasce oues meas, ad cæteros alios spirituales rectores, testantur etiam Ecclesiasticæ formulæ, &

» ritus spirituales rectores constituendi, vt Episcopos, & Abba-  
 » tes, aliosque huiusmodi, Episcopo. n. dicitur, accipe Euange-  
 » lium, & prædica populo tibi commisso, quod perinde est, at-  
 » que diceretur illi, vade, pascere oues tibi creditas, Abbati autẽ  
 » dicitur, accipe plenam, ac liberã potestatem regendi hoc mo-  
 » nasterium, nihil vero aliud est pascere, quam regere. Ergo  
 illud vade, & prædica, quod non homo mihi dicat, sed Deus  
 solum hominis organo vtens, & ideo perinde omnino esse,  
 ac si Deus immediate illud mihi, & non per hominem dixisset,  
 neque sententia, neque verba mea sunt, sed Laudatoris  
 mei. Ego. n. aliquid a Deo primum, & immediate per homi-  
 nis ministerium fieri, Scripturam, & Philosophos secutus, sã-  
 tis me demonstrasse puto, quod meus quidẽ Laudator quia  
 fortassis intelligere non potest, duo hæc, immediate, & per  
 ministerium hominis, membra putat opposita, & qui id ne-  
 get, hunc ait, gloriosorũ doctorum negare dicta, sed ne ipse  
 laboraret querendo, & ego respondendo, doctores istos glo-  
 riosos tacuit, tantum meminit Thomæ, quem se supra secutũ  
 cõfessus est in vtendo iproprie hoc verbo imediate, & quem  
 ego rursus docui, accipere proprie hoc verbum, imediate,  
 pro eo quod est primũ, item tradere eum, quæ a Deo per crea-  
 turas efficiantur, imediate effici a Deo. Deinde, præter ea,  
 - quæ iam dicta sunt, sententiam meam recitans, Vult, inquit  
 - de me loquens, iuris Diuini esse, quicquid Apostoli, aut ver-  
 - bo præcipiebãt, aut scribebant, aut per canones decernebãt,  
 - adducit. n. hic acer iuris Diuini defensor canonem quendam  
 - Apostolorum inferentem excõmunicationis pœnam pastori-  
 - bus in suo ouili non permanẽtibus, ita quod ea pœna sit etiã  
 - de iure Diuino, quod est ridiculum, alioqui fateri oporteret,  
 - hac parte ius Diuinum ruisse, id quod hic homo pro iure Di-  
 - uino dimicans, non concedet. Hactenus ille. Vtrum quæcun-  
 que Apostoli præceperunt, aut decreuerunt, præcepta, ac de-  
 creta Dei habenda sint, paulo post videbimus, nunc ad illud  
 tantum respondebo, quod Apostolorum de præsentia pasto-  
 rali canonem pœna sancitum excõmunicationis non alia ra-  
 tione confutat, quam quod eam pœnam iuris Diuini esse, ri-  
 diculum videatur. Nõ intelligo cur ridiculum, videatur, sic  
 Apostolos

Apostolos sanxisse, alieni sint a Communione in Christo, vt  
 pagina. 29. scripsi, si in mentem ei venit, quod simile est in  
 Euangelio, Sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, & in Paulo,  
 si is qui nominatur Frater inter vos, est fornicator, aut auar-  
 us, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriofus, aut rapax,  
 cum huiusmodi neque cibum sumere. Quod vero addidit,  
 alioqui oporteret hac parte ius Diuinum ruisse, similiter di-  
 cere fortasse possit, quia nõ statim fornicator, aut auarus; aut  
 ebriofus, aut rapax ante iudicium, & sententiam excommu-  
 nicationis excommunicatus habeatur, idcirco ius Diuinum  
 ruere. Deinde postquam satis conuictiorum in me iecit, que  
 - taceo, subiunxit, Dicat ergo nobis, si Canones Apostolorum  
 - sunt iuris Diuini, ac per hoc solui non possunt, cur igitur so-  
 - luti sunt? & nobis periiit tãta pars iuris diuini? nam qui sint,  
 - aut qui fuerint hi Canones, iam non est certo notum Eccle-  
 - siæ, quæ non nouit apocrypha, & a doctoribus varie de his  
 - traditum esse nullus ignorat. hæc ille. Si Laudator meus  
 mea relegisset, aut fortasse semel lecta meminisset, nunquam  
 profecto hoc ex me in libro suo quæsisset, ad quod ego satis  
 respondi. Multa. n. in libro meo notauit ad ius Diuinum  
 tum scriptum, tum non scriptum pertinentia, vt veteres Pa-  
 tres affirmant, quæ quidem solui nõ possent, cum autem sol-  
 ui viderentur, dispensationẽ potius, & œconomiam esse, quã  
 solutionem. aut. n. dixi causam non subsistere, aut iam non  
 esse ita necessariam, aut commutatam esse, & variatam, deni-  
 que oportere ad multa respicientes, omnia spiritualiter diu-  
 dicare, & causas præceptorum, & canonum intueri, vt intel-  
 ligeremus, sicut beatus Ambrosius dixit, vbi causa non hære-  
 ret, ibi vitium non imputari. Hunc itaque locum copiose tra-  
 ctaram, commemoratis multis, quæ Laudator meus iuris Di-  
 uini esse negat, quæ quidem non repeto, ne sim longior, peti-  
 vero possunt ex libro meo a pagina. 50. vsque ad paginam. 61.  
 - quod vero addidit, Cur igitur periiit nobis tanta pars Diuini  
 - iuris? nam qui sint, aut qui fuerint hi canones, non est certo  
 notum Ecclesiæ. Fateor nondum esse omnes canones Apo-  
 stolorum notos, imo scripsisse Clementem Romanum ordi-  
 nationum Apostolicarum libros. 8. quos cum veteres testan-

tur, tum res ipsa probat corruptos esse ab hæreticis, admittis paucis falsis, quod ego prouidentia, & œconomia Dei mirabili ad nostram vtilitatem factum esse crediderim, vt scilicet maiore studio & attentius legeremus, & per charisma discretionis Spiritus spiritualiter eos diiudicarem, spiritualia spiritualibus comparantes, Apostolica, atque Diuina Apostolicis, atque Diuinis. neque quia non sint huiusmodi ordinationes Apostolicæ distinctæ, ac notatæ omnes, sed potius cum falsis confusæ, & ad dignoscendum difficiles, idcirco suspicandum est, vt Laudator meus vult, bonam Diuini iuris partem nobis perisse. Similiter. n. dicat, quia permulta loca Scripturæ sanctæ ita sint difficilia, & obscura, vt eorum sensus notus non sit, idcirco bonam partem Scripturæ sanctæ nobis perisse. Fateor, ecclesiam nõ nosse apocrypha, id est, non approbare ea, neque nõnisse, id est, nondum reperisse omnia, non apocrypha, cum quotidie eam Spiritus sanctus doceat, & suggerat ei, quæ Dominus siue per se, siue per Apostolos suos dixit, & prædicauit. Illud vero quod postea ait canonem illum de Residentiæ pœna prorsus ignotum fuisse multis sæculis, ne scio vnde aliquis diuinare potuerit, si non fuit nostro sæculo ignotus præteritis sæculis latuisse, nisi idem sæcula vidisset præterita, aut quæ illis sæculis ignorarentur, & quæ nõ, Prophetice didicisset. Ego vero contra puto, superioribus sæculis notissimum fuisse, & nullo vnquam tẽpore magis ignotum, aut etiam neglectum, quàm hoc nostro fuisse, neque tamen omnino, vt nũc cernimus, latuisse. Sequitur deinde, Ad hæc auctoritate sancti Epiphani asserit Canonem Apostolorum de non tondenda barba præceptum Diuinum esse, ve igitur tot monachis, qui radunt barbam contra ius, ac præceptum Diuinum &c. Hoc Eusebius Marcello Ancyrano, vt supra iterum memini, exprobrabat, quod voculas carperet, & continuationem sermonis dissimularet. Si omnia verba, aut saltem totã sententiã recitare voluisset, nõ habebat, quod reprehenderet, neque ve omnibus nõ barbatis monachis reliquisset, ergo pagina. 54. sic scripseram, Tradit sanctus Epiphanius in eodem loco, esse canonem Apostolorum de nõ tondenda barba, quem quidem Canonem: præceptum Diuinum.

» idem auctor appellat, causam vero præcepti huius significat  
 » fuisse, quia sit barba tota virilis, & viros decens, quæ quidẽ  
 » causa ex iis, quæ in canone sequuntur, colligi potest. statim  
 » enim prohibet, meretricio more ornari, vt iam vbi nihil sit  
 » molle, neque effœminatum, neque suspitio, aut species molli  
 » ciei, ibi non sit vitium tondere barbam, neque vlla præcepti  
 » huius existat violatio. Hæc ego in illo loco. Nõ igitur ve om  
 » nibus monachis barbam non tondentibus, sed iis tantũ, qui  
 » parum viriliter, & propter mollitiem tondent. Præterea fer  
 » tur, inquit, & illud in Apostolorum canonibus fuisse, vt ora  
 » remus ad orientem, cur igitur nõ admonet homo iste, vt de  
 » struantur omnes ecclesiæ, quarum maius altare non ad orien  
 » tem, sed ad occidentem, vel ad meridiem, vel ad aquilonẽ spe  
 » ctat, ne suum diuinum ius pro quo certat, soluatur? hæc ille.  
 » Similiter dicere potuisset, si canone Apostolorum decretum  
 » est, atque idcirco Diuino iure sancitum, non flectere genua  
 » diebus Dominicis, cur non admonet homo iste, vt quicũque  
 » flexerit genua diebus Dominicis, non sit illi impune? admo  
 » nuui in libro meo inquirendas, considerandasque Aposto  
 » licarum, atque Diuinarum legum, & sanctionum causas, ac ra  
 » tiones, ita. n. intelligi posse, in iis, quæ soluta esse viderentur,  
 » dispensationem potius, & œconomiam esse, quàm solutio  
 » nem, de quorum numero fortasse fuerint hæc duo, precari  
 » ad orientem, & precari stantes Dominicis diebus, quorum  
 » alterum resurrectionis symbolum solum erat, alterum vero  
 » aduentus & ortus solis iustitiæ Christi Dei nostri, quæ duo  
 » cum sint satis iam per se infixæ animis, & memoriis Christia  
 » norum, quid mirum si hæc symbola iam non ita necessaria  
 » esse videantur? Nõ. n. omnium eadẽ ratio est. Velle vero quæ  
 » cunque a principio diuinitus instituta & præcepta sunt, im  
 » mota, & fixa permanere semper, est non velle distinguere or  
 » tus, progressus, & statum summum Euangelicæ prædicatio  
 » nis, ac religionis. Tametsi precessionis ad oriẽtem vestigium  
 » adhuc in Ecclesia relictum esse videatur, cum sacerdos solen  
 » ni ritu ad cornu dextrũ altaris publicas preces clare recitet,  
 » aut Canat. Adde quod in Oriente, in Gallia, Heluetia, ac in  
 » multis Hispaniæ, & Italię regionibus hoc etiã vsque in ho-

diernum diem religioſe ſeruari audio in aris ad orientem por-  
 tendis. Reprehendit me deinceps Laudator meus quaſi me  
 cum diſſentiētem, Quia cum negare, inquit, nō poſſim, quin  
 illud, quod Dominus dixit Apoſtoliſ, qui vos audit, me au-  
 dit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, ad eos pertineat, qui ius Di-  
 uinum aut audirent, aut ſpernerent, tamen conſeſſus fuerim  
 pertinere illud ad eos, qui ſpernant non ius Diuinum, ſed Ec-  
 cleſiaſticum, videat (inquit) qui volet locum in eius libello  
 pagina, 5. & ego eum ipſum locū, quem obſeruator meus no-  
 tauit, videri poſtulo, vt conuincatur, aut fortatte non intelle-  
 xiſſe, aut certe non relegiſſe, neque meminiſſe, cum ſcripſit.  
 „ Sic. n. ego pagina, 5. ſcripſeram. Quis paſtor animarū, cum au-  
 „ dierit, iniqua paſtoris abſentia non ſtatim legem Dei viola-  
 „ ri, ſed hominis, non iam facilius negliget ad eſſe? citius. n. in  
 „ mentē veniet, ſi peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Do-  
 „ minus, ſi autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo?  
 „ quā illud, qui vos ſpernit, me ſpernit, quanto citius, & libe-  
 „ tius, quod laxare videtur, quā quod aſtringit, arripimus, &  
 „ tenemus. quid clarius dici potuit? illud. n. ſi peccauerit vir in  
 „ virum ad eos clare retuli, qui ius hominum, quod laxare vide-  
 „ tur, violent, illud vero, qui vos ſpernit, me ſpernit, ad eos pla-  
 „ ne qui ius Apoſtolicum, idēque Diuinum, quod magis aſtrin-  
 „ git, ſpernat. Quemadmodum ergo, ait, dixiſſe me, ad eos per-  
 „ tinere, qui non ius Diuinum, ſed Eccleſiaſticum ſpernant? Vi-  
 „ de, quid faciat contemptus, malo. n. contemptum interpreta-  
 „ ri, quā calumniam, aut malitiam. Accedit deinde Laudator  
 „ meus ad locum mei libri in eos, qui præcepta Pauli tradunt  
 „ non eſſe Chriſti præcepta, recitatisque multis ex meo libro,  
 „ quæ non Pauli tantum, vt ille vult, ſed Chriſti præcepta eſſe  
 „ docui, ſubiunxit de me. Vult ergo hic magiſter, nō minus di-  
 „ ci præcepta Chriſti, quæ voce ſua nō præcepit ipſe Chriſtus,  
 „ ſed per Paulum, aut alium Apoſtolū, quā quæ ipſemet Do-  
 „ minus verbo ſuo expreſſit, quod ſi verū eſt, cur ergo beatus  
 „ Paulus dicebat, non ego, ſed dominus? & ruruſ, ego, non Do-  
 „ minus? hæc ille. Reſpondi ego in libello meo, quid ſibi vellet  
 „ Paulus, cum diceret, non ego ſed Dominus, & ruruſ, ego, nō  
 „ Dominus, veteres, eorūdemque graues auctores, & Scripturæ

ſanctæ interpretes ſecutus. Quod quidem ſi Laudatori meo  
 non probabatur, ratione debuit refellere, non ruruſ quare-  
 re, quid ſibi vellet, quod Paulus diceret, non ego, ſed Domi-  
 nus, & ego, nō Dominus, quaſi non prius ego reſpondiſſem,  
 quam quæreret, & prius expliciſſem, quam dubitaret. Sciebā  
 enim vt dixi in libro meo, hoc eos fortatte ſeſelliſſe, qui falſo  
 putabant, nō eſſe illa, de quibus loquebar, Dei præcepta, quia,  
 vt opinor, nō intelligebant, quid ſibi vellet, neque quorū  
 illud, dico ego, non Dominus, & illud, præcipio non ego, ſed  
 Dominus. Ergo poſt illa, quæ Laudator meus ex libello meo  
 recitauit, cum vellem exemplo docere, eſſe quædā, quæ prius  
 præcepta fuiſſent a Domino, quando ſcilicet docebat, & Euā-  
 gelizabat, alia vero a Domino per Apoſtolū Spiritum Dei  
 habentem, ſtatim ſubiunxi, quod ex ipſo Paulo intelligi po-  
 teſt, quia. n. in Euangelio erat lex de matrimonio nō dirimē-  
 do, repetens Apoſtolus, magiſque explicans legem illam, iis,  
 inquit, qui matrimonio ſunt iuncti, præcipio nō ego, ſed Do-  
 minus, perinde atque diceret, non ego primus, ſed Dominus  
 ante me in Euangelio ſuo, quod prædicauit, quia vero de eō  
 iugio duorum, quorum alter eſſet infidelis, nihil erat in euā-  
 gelio, ipſe de eo ſanciens, nam cæteris, inquit, ego dico, non  
 Dominus, non inquam Dominus per ſe, ſed per me hoc do-  
 cuit. Sic. n. Chryſoſtomus in libro de Virginitate capite. 13.  
 interpretatus eſt, perinde atque diceret Paulus, vt Theodore  
 „ tus etiam Chryſoſtomum ſecutus in commentariis epiſto-  
 „ larum Pauli ait, non inuenio hanc legem in Euangelio Chri-  
 „ ſti, ſed eam nunc ſtatuo, neque me hoc docuit Dominus ἔ-  
 „ γράφω, ſed ἀγγέλω, id eſt, non didici hoc ex Scriptura, aut  
 „ prædicatione Domini, ſed ſine ſcripto, & voce, Spiritu docē-  
 „ te. Quod vero leges Pauli leges Chriſti ſint, Norunt, inquit  
 „ idem Theodore, qui in literis ſanctis erudiri ſunt. ipſius  
 „ enim eſt illud, an experimentum quæritis eius, qui in me lo-  
 „ quitur Chriſtus? & illud, dico ego per gratiam Dei, quæ data  
 „ eſt mihi, & alias, ſiquis Propheta eſt, & ſpiritualis, cognoſcat,  
 „ quæ ſcribo, quoniam Domini mandata ſunt, item illud, exi-  
 „ ſtimo, quod & ego ſpiritum Dei habeam. Haſtenus ex libel-  
 „ lo meo. Hæc, inquam, Laudatori meo ſi non probabantur, ra-

- tione, & auctoritate refellere debebat, & non quærere, cur  
 - Paulus dixisset nõ ego, sed Dominus. Deinde subiūgit, scio,  
 - quòd quæ dicebat beatus Paulus, ex spiritu Dei veniebant,  
 - cum ipse dixerit, puto, quòd & ego spiritũ Dei habeam, sed  
 - non sunt eiusdem gradus in robore, ac firmitate, quæ Domi-  
 - nus per Paulum, & Apostolos disponebat, ac illa, quæ per se-  
 - ipsum. Neque merentur ista nomē iuris Diuini, cū super his,  
 - quæ sancit per ecclesiã, in qua est spiritus Dei, possint ipsi Ec-  
 - clesiæ pastores, ac principes dispēsare, Hæc ille. Quæ quia nõ  
 - potuit, ideo nulla ratione probauit, imo victũ se prope cōfes-  
 - sus, tanquam iam pugnam sustinere non posset, alterum sub-  
 - stituit, cum quo certarem, ad auctoritatem, inquã, beati Tho-  
 - mæ confugit, subiungens, audiat ergo patienter reprehensör  
 - meus beatorum Thomã, de cuius doctrina locutus sum, vt me  
 - desinat reprehendere, & cum illo, quod ipsi erit gloriosius  
 - congregari, atque decertare &c. Ego sanctissimum doctorem  
 - Thomam, clarissimum Ecclesiæ catholicæ lumen non repre-  
 - hendo, imo colo, veneror, & sequor, sed ille reprehendendus  
 - est, quicumque aliquid fortasse non probabile ab eo, aut alio  
 - quopiam magno auctore sumpserit. Debemus. n. qui ex bo-  
 - norum auctorum libris discimus, optima eorum discere di-  
 - ligenti studio, & acri iudicio, Diuinis, & Ecclesiasticis legi-  
 - bus, ac regulis ad examen adhibitis, ne quid a veritate discre-  
 - pet. quòd si quid non probabile inde duxerimus, nõ quidẽ  
 - is auctor, qui docuit, sed nos, qui didicimus, reprehendendi  
 - sumus. Satis ad laudem, & admirationem præclari alicuius  
 - auctoris, vt Ambrosii, Hieronymi, & similitũ fuerit, si recte,  
 - & sancte fere omnia scripserit, mihi vero nõ licet non esse cõ-  
 - teris, iisdẽque optimis cõtentũ, quin vnũ illud, aut alterũ nõ  
 - bene, vna etiã cum illis bonis sumã. Recitat ergo ex quotlibe-  
 - to. 4. s. Thomę de dispēsatione bigamię sententiã his verbis,  
 - ne omnia repetã. Ad primũ ergo dicẽdũ, quod Apostolus du-  
 - pliciter in doctrina sua aliquid proposuit, quædam qui-  
 - dem, sicut promulgans ius Diuinum, sicut illud, quod habe-  
 - tur ad Gal. 5. Si circumcidimini, Christus vobis nihil prode-  
 - rit, & multa alia huiusmodi, & in his non potest dispensari,  
 - quædam vero sicut propria auctoritate statuens, nam ipse di-

- cit. I. Cor. II. Cætera cum venero disponam, & infra. 16. mada  
 - uit, vt collectæ, quæ fiunt in sanctos, per vnã sabbati fiant,  
 - quod non pertinet ad ius Diuinum. Similiter etiam quod di-  
 - citur de bigamo promouendo, non est iuris Diuini, sed insti-  
 - tutio auctoritatis humanæ Diuinitus homini concessa, Hæc  
 - ille pro nobis, & contra hunc reprehensorem nostrum quã-  
 - manifestissime. Hactenus ex libello Laudatoris mei. De  
 - bigamo, id est, de non vnus vxoris viro, quid existimare sen-  
 - tiendũ esse, dixi in libro meo, nempe præceptum Dei esse  
 - spirituale, ac proinde spiritualiter diiudicandum ex causã præ-  
 - cepti, propter præiudicium enim futuræ incontinentiæ sacer-  
 - dotio, & Episcopatu prohibetur, qui non est vnus vxoris  
 - vir, vt ex Innocen. I. epistola. 2. intelligi potest. Is enim sancies,  
 - ne clericus viduum ducat, Ne, inquit, hoc præiudicio impedi-  
 - tus, non possit ad sacerdotium peruenire. Idem rursus in ea-  
 - dem epistola, Vnius, inquit, vxoris virum dixit, non perma-  
 - nentem in concupiscentia generandi, sed propter futuram  
 - continentiam. Quare in his, cum causã præcepti non inest, ne-  
 - que vis præcepti remanet, vt etiã sanctus Ambrosius de iua,  
 - cum neophytus esset, contra præceptum Apostoli, ac Dei, vt  
 - videbatur, ordinatione, neophytus, inquit, prohibetur ordi-  
 - nari, ne superbia extollatur, sed si non deest humilitas sacer-  
 - dotio, vbi causã non hæret, vitium non imputatur. Hæc ratio  
 - dispensationis in neophytia Episcopi, siue sacerdotis, & in  
 - bigamia, non autem institutio humanæ auctoritatis, vt bea-  
 - tus Thomas voluisse videtur, de cuius doctrina locutum se  
 - Laudator meus dicit. Hæc autem fuerat locutus. Non sunt  
 - eiusdem gradus in robore, & firmitate, quæ Dominus per  
 - Paulum, aut Apostolos dispensabat, ac illa quæ per seipsum.  
 - neque merentur ista nomen iuris Diuini, cum super his quæ  
 - sancit per Ecclesiam, in qua est Spiritus Dei, possint ipsimet-  
 - Ecclesiæ pastores, ac Principes dispensare. hæc ille. Nõ putat  
 - differre præcepta Pauli a præceptis Põtificis, aut alterius pa-  
 - storis spiritualis, & Ecclesiastici, vtraque. n. a Christo per  
 - alium præcipi, atque idcirco ad ius Ecclesiasticum pertinere.  
 - Ita fit, vt tres iuris partes, Diuini, Apostolici, & Pontificii, si-  
 - ue Ecclesiastici, sublato Apostolico, eodemque Diuino, ad

duas tantum Diuini solum, & humani referat, quæ in Scripturas sanctas, & canonicas blasphema esse arbitror. Denique connexionem ponit ex Diuinis, & humanis in nouo Testamento, quod est dogma a sana, & catholica Scripturæ sanctæ doctrina alienum. Cui simile est dogma Ptolemæi connexionem item ponentis in vetere Testamento, quod hic etiam auctor, quamuis fortasse nolens, defendere videtur, ut paulo post videbimus. Ergo videamus nunc primum quale sit, quod ait, non esse eiusdem gradus in robore, & firmitate, quæ Dominus per Paulum, aut Apostolos disponebat, ac illa quæ per seipsum. Confitetur hic auctor, & recte, quod quæ præcipiebat Paulus, ipse Christus, cuius Spiritu loquebatur, præcipiebat per eum, non intelligens, se suo gladio confodere, & ut est in vetere Prouerbio, suo iudicio periit forex. Et enim si idem Christus est, ut quidem est, qui per se præcipiebat, & qui per Paulum Verbi sui ministrum, cum minister nihil sit, præterquam minister ex virtute, quam Deus administrat, sicut ait Scriptura, ministras, quemadmodum fieri, aut etiam intelligi potest, ut non vnum, idemque robur sit, eademque firmitas præcepti Christi siue per se præipientis, siue per ministrum verbi Apostolum? Neque. n. dixit Dominus, qui vos audit, idest me per vos, minus aliquid audit, sed me audit, neque qui vos spernit, idest me in vobis spernit, minus spernit, sed me spernit, ut iam nihil interesse existimemus Christi per se, an Christi per Apostolos præcepta contemneret, quasi hæc non eiusdem gradus in robore, & firmitate sint. Præterea si secundum sibi datam sapientiã, ut beatus Petrus scribit, Paulus frater scripsit, vna est autem sapiëntia patris Christi Dei filius, in quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei, quemadmodum non fuerit in eodem gradu roboris, & firmitatis quod ipsa sapientia Dei patris per Paulum, & quod per se præcepit, ac prædicauit? Adhæc, quod Paulus ait, non Dominum, sed se præcipere, vtrum in nomine suo præcepit, an in nomine Christi? non credo, audebit respondere hic auctor, in nomine suo, ne ex ministro, & Apostolo Dominum faciat, in nomine ergo Christi præcepit, quod si in nomine Christi, ergo in virtute, robore, & firmitate Christi, sicuti qui

qui baptizat, aut mysterium aliud in nomine Christi perficit, eodem gradu roboris, & firmitatis, eademque virtute sanctitatis mysterium perficit. Quod si mysterium Eucharistiæ, quod per seipsum Christus perfecit, non magis sanctum, aut ratum fuit, quàm quod quotidie per ministros suos sacerdotes perficit, cur verbum, quod per se sanxit, magis firmum, ratumque fuerit, quàm quod, non dico per Pontifices, sed per Paulum, aut alios Apostolos sanxit? Non. n. cum Pontifices aliquid sanciant, aut præcipiunt noui, quod neque Christus, neque Apostoli eius prius sanxerint, aut præceperint, id Christus per eos similiter sancire dicatur, sicut per Apostolos, illis enim idest, Pontificibus potestatem sancienti, & præcipiendi dedit, his vero potestatem, & sapientiam. Vnde Pontifex, cum aliquid præcipit, quod neque Christus, neque Apostoli, denique quod neque Scriptura sancta præceperit, non tanquam minister verbi alieni, sed magis tanquam sui præcepti auctor, & Dominus est, neque. n. quod Diuinum est, præcipit, sed quod suum, idest humanum, esto sanctissimum sit, & iustissimum, neque tam Christus in eo, quàm ipse loqui dicens est, quia scilicet non id præcipiat, & loquatur secundum datam sibi sapientiam, ut quidem data est Apostolis, & Prophetis, qui tanquam ministri verbi Scripturas canonicas secundum Ecclesiæ Catholicæ traditionem nobis reliquerunt, in quas quidem blasphemus est, quisquis in eis Diuinæ, & humanæ sapientiæ Epitocem idest connexionem ponit. Deinde si quod per se Christus interpretari voluit in Euangelio, non magis certum firmumque est, quàm quod per Paulum, cur magis ratum, firmumque fuerit, quod per se præcepit, quàm quod per Paulum? non. n. magis certum est illud quod Dominus per se interpretatus est, ex ore infantium, & lactantium perfecisti laudem de pueris clamantibus in templo, & dicentibus Osanna Filio Dauid, quàm illud, quod per ministrum verbi Matthæum, dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum subiugalis, de ingressu Christi in Hierusalem super asinam. Neque magis certum est, & stabile, ac fixum fuisse Ionam in ventre ceti, typum sepulture, ac resurrectionis Christi, quod Dominus per

seipsum exposuit, quam quod per Paulum Agar, & Sarā duo testamenta fuisse &c. Præterea Dominus in Euangelio, nonne scriptum est, inquit, in lege vestra, quia ego dixi Dii estis? si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & nō potest solui Scriptura, non dixit, non potest solui hæc scriptura, neque dixit infinite γράφῃ, sed cum articulo, ut omnem Scripturam Diuinitus inspiratā, ut Paulus dixit, intelligeremus, quæ cum eque omnis solui non possit, necesse est eiusdem gradus sit in robore, & firmitate. Quod si Scriptura, quam Christus per Paulum inspirauit, & tradidit, solui posset, id est, auctori tate hominis fieri, ne illa seruetur, hoc est, n. solui Scripturā, non seruari, sicut Dominus ait, si circumcisionem accipit homo in Sabbato, ne soluatur lex Moysis, ergo aut solui potest Scriptura, aut hæc non est Scriptura Diuinitus inspirata, & Canonica. Cum huius falsi dogmatis ortum considero, videtur mihi locus ille Pauli, dico ego, non Dominus ex eorum numero esse, de quibus beatus Petrus de epistolis Pauli loquens, In quibus, inquit, sunt quædam difficilia, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionē, imo non indocti solum, sed docti, & in Scripturis sanctis valde eruditi. Videat ergo, qui tradit, quod Christus per Paulum præcepit, non esse eiusdem gradus in robore, & firmitate, atque illa quæ per se præcepit, ne diuidat eū Deus, qui Christum diuidit, totum robur & firmitatem auctoritatis eius in iis ponens, quæ per se Euangelizauit, in iis vero, quæ per Paulum Apostolum, non totum illud robur, sed partem. Caueat, qui robur, & firmitatem Scripturæ sanctæ Diuinitus inspiratæ minuit, ne apponat illi Deus plagas in Apocalypse beati Ioannis scriptas, sicut scriptum est, Contestor omni homini audienti verba Prophetiæ libri huius, si quis apposuerit adhæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, & si diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de iis, quæ scripta sunt in libro isto, quæ quidem non propter Apocalypsem tantum scripta sunt, sed propter cæteras quoque Scripturas sanctas, quarum est vna omnium sanctitas, pondus, robur, & firmitas, siue per Christū,

siue per Apostolos Euangelizatum sit, quod in eis cōtinetur. Verum quo magis hic error intelligatur, videamus ex quibusdam Christi per Paulum præceptis, quid de cæteris eiusmodi iudicandum sit. Nam cæteris, inquit, ego dico, non Dominus, si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & si qua mulier habet virum infidelem &c. Hoc Christi per Paulum præceptū tradit hic auctor, non esse eiusdem gradus in robore, & firmitate, atque illud, quod per se Christus præcepit, at videat, rogo quid de præcepti huius vi, & robore. pater Chrysostomus, scripserit in libro de Virginitate, in quo totū illud caput. 7.

» prioris epistolæ ad Cor. eruditissime interpretatur. Quanta,

» inquit, sit τῶν τῆς ἐντολῆς ἰσχύς, id est huius præcepti robur, &

» firmitas, demonstrat cuncta Ecclesia vniuersalis, quæ hoc

» μὲν πάσης ἀκριβείας seruat, & seruauit semper. Hactenus Chry-

» sostomus. Quid amplius sanctissimus vir, & in Scripturis sanctis exercitissimus, & Ecclesiæ catholicæ doctor excellens dicere potuisset, si robur illius præcepti Christi in Euangelio, de quo proxime dixisset Apostolus, præcipio non ego sed Dominus &c. demonstrare voluisset? aut quis, si attente hunc locum, & Chrysostomi verba perpenderit, dubitare poterit, quin hæc Chrysostomus aduersus eos dixerit, qui idem, atque Laudator meus, sentiebant, & docebant, non esse scilicet eiusdem gradus in robore, & firmitate præceptum hoc? quia scilicet non recte illud intelligerent, dico ego, nō Dominus. Quod quidem idem pater Chrysostomus his verbis in eodē de Virginitate libro interpretatur, hoc, inquit, Paulus ait, nō hoc scilicet Dominum Iesum per se prius tradidisse, ut alia multa, sed per Paulum nunc tradere, ac præcipere. Deinde subiungit, quāta vero vis, & robur huius præcepti sit, & quæ sequuntur. &c. Scio Augustinum alioqui sanctissimum, & in Scripturis sanctis eruditissimum, cum non sic acciperet locū istum Pauli, dico ego, non Dominus, ut optime alii veteres patres acceperunt, non præceptum, sed consilium hoc de cōiugio fidelis cum infideli esse dixisse. Sic, n. ait libro. i. de ser-

» mone in monte Domini ca. 27. non præcepit ex Domini per-

» sona, sed ex sua persona monet. Et paulo supra, dicebat, in-

» quit, superius ex Domini persona iis, qui sunt in coniugio,  
 » nunc vero ex sua persona cæteris dicit. Et libro. i. de Adulterinis  
 » coniugiis. c. 12. quale est, præceptum Domini nõ habeo,  
 » tale est, non dicit Dominus, sed ego. Et quale est, Consilium  
 » do, tale est, ego dico, nisi quòd in nubendo, & non nubendo  
 » dici potest, vtrumque bene fieri, sed alterum melius, quoniã  
 » vtrumque expedit, sed alterum magis, coniugem vero infide-  
 » lem dimittere, quia non expedit, non potest dici, bene fieri,  
 » quia non expedit, quamuis licitum sit. Hunc sanctus Tho-  
 » mas, vt fere semper secutus, eundem Pauli locũ interpretans,  
 » consulendo, inquit, non præcipiendo dicit. Ego sanctos istos  
 » auctores, vt supra dixi, non reprehendo, absit, imo colo, & se-  
 » quor, sed me reprehendendum iure putem, si quid non pro-  
 » babile ab eis didicerim, non contentus cæteris eorum opti-  
 » mis, & limatissimis doctrinis. Neque. n. illi sic scripserunt, vt  
 » se per omnia sequendos esse putarint, aut hoc a nobis pete-  
 » rint. Sed potius quod idẽ, Augustin. ad Fortunatum scripsit,  
 » neque quorumlibet, inquit, disputationes quãuis catholico-  
 » rum, & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas  
 » habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia,  
 » quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scripturas  
 » improbare, atque respuere, si forte inuenerimus, quod aliter  
 » senserint, quàm veritas habet Diuino adiutorio vel ab aliis  
 » intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, qua-  
 » les volo esse intellectores meorum. Ergo hoc, de quo nunc  
 » Paulus ait, dico ego, non Dominus, non solum si consiliũ, sed  
 » si præceptum sit ad ius Ecclesiasticum pertinens, licebit per  
 » Pontificem vxori discedere, infideli consentiente habitare  
 » cum vxore fidei, atque ita infidelis ille blasphemabit Euan-  
 » gelium Iesu Christi, quasi doceat diuortium facere prætextu  
 » religionis, & multi fratres libertatem suam vertent in occa-  
 » sionem discedendi, etiam inuito infideli, quo scandalo quid  
 » peius esse potest? Teneamus ergo præceptum Diuinum, &  
 » Apostolicum esse hoc, neque minoris roboris, & firmitatis,  
 » quam si Diuinum tantum esset, idest non per Apostolum tra-  
 » ditum, quod quidem ad ius Canonicum, siue Ecclesiasticum  
 » non pertineat, neque vlla ratione solui possit, siue, vt nunc lo-

quuntur, dispensari, infideli consentiente habitare cum fi-  
 deli, quia scilicet quando habitare consentiat, causa, & ratio  
 præcepti existat, spes scilicet salutis. Vnde. n. (inquit) scis mu-  
 lier, si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem sal-  
 uam facies? Vbi autem causa hæret, vitium imputatur. Ne au-  
 tem hoc præceptum, cuius tantum esset robur, & firmitas, vt  
 necessario seruandum esset, nullaque alia ratione, vt dixi, sol-  
 ui posset, perdifficile & nimis asperum videretur, si existima-  
 ret fidelis se conuictu infidelis pollui, ac contaminari, vellet-  
 que ob eam rem discedere nolere infideli, tam longe, inquit,  
 abest hoc, vt potius infidelis per fidelem sanctificetur, idest  
 honoretur, quòd si infidelis conuictu, & coniunctione fide-  
 lis coniugis honoratur, profecto pars fidelis non redditur in-  
 famis, & immunda. Nemo. n. puto, alterum honorat, & sancti-  
 ficat, in quo seipsum sordat, & dedecorat, nisi secus interdum  
 ex accidenti eueniat. Sanctificatus itaque, inquit, est vir infi-  
 delis per mulierem fidelem, & vicissim, cuius rei argumentũ  
 est, quòd filii eorum non sunt immundi, & infames inter fra-  
 tres, vt quidem sunt filii vtriusque coniugis infidelis. Dein-  
 de, quid tantopere in hoc præcepto commendando laborat  
 Apostolus, si minus firmum est, quàm Diuinum? si inquam  
 ab homine solui potest, quia scilicet ad ius canonicũ, siue Ec-  
 clesiasticum pertineat? Sed videamus iam aliud huius-  
 modi præceptum Christi per Paulum, Mulieres, inquit, in Ec-  
 clesia taceant, non. n. permittitur eis loqui, sed subditas esse,  
 sicut & lex dicit. Hoc præceptum si non est Diuinum pro-  
 prie, sed humanum potius, & ad ius Ecclesiasticum pertinens,  
 quod solui possit, vt Laudator meus putat, quorsum Apõsto-  
 lus subiũxisset, Si quis Propheta est, & spiritualis, cognoscat,  
 quæ scribo vobis, quoniam Domini sunt mandata? nisi quia  
 non deerant eo tempore, sicut ne nunc quidem defunt, qui-  
 bus non Diuinum, sed humanum mandatum esse videretur  
 tum hoc, tum alia huiusmodi, cum tamen quæcunque man-  
 data Paulus scripserit, & prædicauerit, Domini mãdata sint,  
 quod facile intelligit, qui Propheta est, cui Deus reuelarit,  
 aut etiam, qui licet non sit Propheta, spiritualis tamen est,  
 idest, qui propter perfectionem exercitatos habet sensus spi-



ritualiter viuendo, in discernēdis bonis, & malis, præceptis, & nō præceptis, permissis, & vetitis, qui, inquā, diiudicat omnia spiritualiter probans in omnibus quæ sit volūtas Dei bona, bene placens, & perfecta, quæ quidē in mandatis, & consiliis Dei secūdū voluntatē eius perficiēdis versatur. Ergo nō agnoscere mandata, quæ Paulus scripsit, esse omnia Dei mandata, sed potius aliqua eorū esse humana ad ius Ecclesiasticū pertinentia, vereor ne animalium hominū fuerit, & non percipientium, quæ Dei sunt. Non ego hoc, sed Paulus dicit. Etenim si spiritualem esse oportet, qui huiusmodi mandata Pauli, Dei esse cognoscat, ergo si ego nō cognouero, animalis fuero, & me ignorantia condēnabo proprio iudicio dānatus, si cū hoc possim discere, ac scire, nolim tamē. Id. n. significat, quod statim subiungit, si quis autem ignorat, ignoret. Est itaque hoc, ne mulier in Ecclesia doceat, mādatum Diuinum, cuius quantum sit robur, & firmitas, id est, solui nō posse, esseque, vt nunc loquuntur, indispensabile, Ecclesia Catholica demonstrat, quæ summa religione, & constantia, perpetuoque tenore semper hoc seruauit, & seruat vbiq̄. Licet non ita pridē Hispanam sceminam Romæ in Ecclesia docentē publice plerique viderint, nō quidem Canonico Pontificis iudicio, sed suo sensu, & quorundam suorum defensorum. Hoc dixi, ne quis hoc olim audiens, sceminæ illius licentiam alioqui doctæ & probæ sanctæ Ecclesiæ Romanæ approbationem interpretetur. Nūquam. n. hoc approbavit, imo, vt arbitror, neque approbare potest, quia scilicet non possit non esse turpe, sicut Apostolus ait, mulierem in Ecclesia loqui, idque, quia vir caput est mulieris, siquidem ex eo sumpta sit mulier, & ei subiecta, quid autem turpius, quàm vt reliquum corpus capiti præsit? est. n. docere, quoddam præesse, sic explicata est hæc turpitudinis causa & ratio tum a Paulo in altera epistola ad Corinthios, & in altera ad Thimotheum, tum a Clemente Romano in libris ordinationum Apostolicarum, quæ quidem turpitude cum tolli non possit, neque interdictum hoc, cuius causa turpitude illa exilit, tolli poterit. Ita fit, vt non sit vlla ratione dispensabile, ibi enim vitium non imputatur, vbi causa non hæret, vt sanctus Ambrosius dixit de

sua, qui neophytus erat, ordinatione, quod sæpe meminimus. In huiusmodi vero præceptorum causas, & rationes qui non aspexerunt, faciliem in omnibus Christi per Paulum præceptis dispensationem reperiēbant. Satis iam patere arbitror, qualis sit hæc sententia de hoc præcepto, imo de cæteris eiusmodi, quia Christus non per se, sed per Apostolum præcepit, ne mulier in Ecclesia doceat, & alia similia, idcirco non esse hæc eiusdem gradus in robore, & firmitate, atque essent, si eadem idem Christus per seipsum ore suo præcepisset, vt Laudator meus, & plerique alii cum eo sentiunt. A quibus quæram iam, cum profecti Apostoli prædicauerunt, sicut scriptum est, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, an sermonem intelligemus Christi tantum, ab eodem prius per se euangelizatum? an etiam Christi sermonem per Apostolum traditum? Non credo, negabunt, quin vtrūque Dominus signis, cum opus esset, confirmaret, alioqui quemadmodum Paulus Apostolus Iesu Christi vere diceret de potestate sibi data, in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam? omnem dixit tan sermonis, & præcepti Christi per se, quàm Christi per Paulum, & cæteros Apostolos. Quo circa non dixit sermonem infinite, sed cum articulo, vt docti inam, & præcepta intelligeremus siue Christi ab eodem per se tradita, siue postea per Apostolos. Quod si vtrūque sermonem confirmabat Dominus sequentibus signis, cum opus erat, erant ergo eiusdem gradus in robore & firmitate, quod enim æque confirmatum est, æque validum, & firmum factum est. Neque a me quærant isti, vbi confirmarit Dominus, signo sequente, præceptum Christi per Paulum, aut per alium ex Apostolis, mihi satis est, potestatem ad id accepisse tum Paulum, tum cæteros Apostolos, neque minus potuisse Paulū, si ita expedisset, solo verbo per Dei gratiā secundū potestatem sibi datā occidere fidelē discedentē cōtra præceptum suū ab infideli cōsentiente habitare cū eo, quod quidem Christus per Paulū prius prohibuit, quā potuit Petrus Ananiā, & Sapphirā, quia mentiti fuerāt Spiritui sancto, & de pretio agri fraudarāt, & quàm potuit idem Paulus Co

rinthium illum Satanæ tradere in interitum carnis propter fornicationem illam a Domino prius prohibitam. Præterea terret non semel Apostolus hac potestate sibi data Corinthios, minaturque iis, qui peccarant, nisi resipiscerent, nõ par furum, cum ad eos iterum veniret, quin potius ostensurum eis, Christum in se loqui. Quorsum autem Christum in se loqui suo malo experturos eos minaretur, nisi vt sic discerent, tum falsum esse quod Pseudoapostoli iactarent, nõ esse eum Apostolum Iesu Christi, tum etiam quod Christus per Paulum præciperet, nõ tanti roboris & firmitatis esse, ac si Christum id per se præcipientem audirent? Experimentum itaque mihi quærere videntur, similiter atque Corinthii illi, vtrum Christus in Paulo id sit locutus, quod primum per Paulum præcepit, quicumque id non eiusdem gradus in robore, & firmitate esse dicunt, atque illud, quod per se idem Christus præcepit, quæ vox vtrum profana sit, & blasphema, & Pseudoapostolis magis digna, quàm catholicis, diiudicent, qui huic iudicio præsumunt. Scio, & fateor Laudatorem meum Catholicum esse, & fidelem Catholicorum defensorem, quo magis eum obtestor, vt hæc secum & consideret, & cum aliis communicet. Qui si quod Christus per Apostolos præcepit ad ius Canonicum, siue Ecclesiasticum, vt ipse ait, pertinere putat, & si cum decretis, ac mandatis Põtificum æquat in robore, & firmitate, quæro ab eo, vtrum putet Pontifices accepisse potestatem ostendendi signo aliquo, quod Christus in eis loquatur tunc, cum aliquid præcipiunt, quod non prius præcepit Christus aut per se, aut etiã per Apostolos? Aut quod vnquam hominis decretum, siue mandatum statim a principio tantas habuit vires, vt vbique in vniuersis Ecclesiis vno cõsensu religiose seruatum semper fuerit, & seruetur, vt vnũ Pauli præceptum in mulieribus de orãdo velato capite? quis spiritualis non videt, si humanum fuisset hoc præceptum, ac non potius Diuinum, non potuisse tantum robur, idest, Diuinum, tantãque firmitatem habere? Valeat ergo profana hæc in nouo Testamento connexio Diuini, & humani, firmi, & infirmi, dispensabilis, & indispensabilis. Inquiramus causas, & rationes præceptorũ, & omnia in eo Diuina esse tradamus.

Credamus

Credamus totam scripturam æque Diuinitus inspiratã esse, & æquali robore, ac firmitate esse omnia eius mandata, nihil que Apostolos propria auctoritate, idest, humana statuisse, sed omnia tãquam Christi ministros, & mysteriorũ Dei fideles dispensatores. Denique qui tradita solum ab Apostolis, siue scripto, siue sine scripto, minore auctoritate, atque illa, quæ in sancto Euãgelio cõtinentur, cõstare opinantur, quia ipsi etiã ferre solent in ore scholasticos, sciant se iam graui præiudicio nobilissimæ, & frequentissimæ doctorum Parisiensium scholæ in censuris Erasmiarum assertionum titulo. viii. de impietate damnatos esse. Quare, vt quod sentio dicam, audendum est. n. pro fide, qui huiusmodi traditiones humani iuris, humanæque auctoritatis esse docent, semel, & iterum monendos esse iudicari, vt sicut scriptum est, post vnam, & secundam admonitionem tanquam hæretici deinceps vitentur, vt subuersi, & proprio iudicio damnati, qui Apostolorum traditiones arma nostræ aduersus hæreticos militiæ potentia Deo ad destruendas munitiones, & consilia eorum ex Diuinis faciunt humana, vt iam non amplius de eis gloriari possimus, arma nostra non esse carnalia, idest humana, quibus altitudinem hæreticorum, & pseudoapostolorum extollentem se aduersus sciẽtiam Dei comprimere queamus, redigentes eorum intellectum in obsequium Christi. Etenim si hæc tela nobis aut manibus exciderint, aut erepta fuerint, quid iam de fidei illo secundum doctrinam sermone, quem Apostolus ad arguendum doctrinæ sanæ contradicentes, amplecti iubet Episcopis, metuerint inobedientes, vaniloqui, & seductores hæretici præter expressum Dei verbum, & vt Laudator meus ait, claram, ac promptam ex eo sequelam? Et quid hoc aliud est, quæso, quàm eos ad contemptum, licentiam, vaniloquia, deceptiones, & hæreses instruere? Cum. n. Apostolicas traditiones non Dei, sed hominum traditiones esse audient, idest, humanæ auctoritatis, simul profecto audient, non eas pertinere ad illum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, quæadmodum. n. fidelis sermo fuerit, qui vlla ratione solui possit? Rursus cum non pertinere audient, simul item audient, eum, qui eas amplectens, ad arguendum

I

procedet, non esse potentem, arguere eos, qui contradicunt. Atque ita Philistæus Goliath insolentior factus, humana placita, humanæque auctoritatis infirmitatem, ceu baculum arundineum exprobrabit Israeli Dei. Videte, quo hic sermo, velut cancer serpens, exeat. Huius vero erroris causa, & origo eadem intelligatur, atque in præceptis Christi per Paulum, quæ humanæ quoque auctoritatis ponunt, de quo satis haftenus. Jam illud quod Ecclesiis Galatiæ, & Corinthiis Paulus ordinavit, ut collectæ fierent per unam Sabbati, id est, die Dominico, non dicam pertinere modo ad ius Diuinum, sicut recte negat etiam sanctus Thomas, quod Laudator meus ex quotlibet eius attulit, quia scilicet, ut existimo, non existat causa post locupletatas, & bonis auctas Ecclesias, a quibus absque collectis illis die Dominico olim institutis satis possint alii pauperes, si sacerdotes, & qui Ecclesiis præsumunt, quod sui est officii, facere velint. Pertinuisse vero olim ad ius Diuinum, cum causa præcepti, & ratio vigeat, argumentum est non leue, quod in multis multarum regionum Ecclesiis illius sanctæ legis vestigium adhuc relictum est, adhuc. n. eam retinet consuetudinem. Et in libris Clementis Romani ordinationum Apostolicarum caput est *πρὸς τὴν κυριακῶν εἰσφορᾶς* id est, de Dominicarum collectarum oblatione. Ad illud præterea quod ex eodē quotlibet sancti Thomæ de bigamo non promouendo attulit, non esse iuris Diuini, supra respondi, & in priore meo libro copiosius. Reprehēdebā deinde, quod legē Moysis non proprie legē Dei esse diceret, decalogum vero esse proprie legem Dei, quia a voce Dei veniret, ille vero post conuitia multa, adhuc locum respondens. Hic igitur, inquit, homo carpens, quæ non apprehendit, illis verbis, quæ non citat perfecte, putauit me dicere, quod non sit propria locutio hæc, lex Moseos fuit lex Dei, ego autem ad ipsum esse respiciens, non ad dici, dixi de illa, quod non erat proprie lex Dei. Hæc ille. Suspiciatur Laudator meus, fortasse quia ita vellet, esse mihi cum eo de solo verbo controuersiam, ut inā fuisset, non putassem profecto de verbo contendendum, sinerem loqui, ut mallet, modo rem, & veritatem negare non videretur, at nunc non de nomine, sed de re est questio. Concedit

itaque legem Moysis proprie dici legem Dei, sed non esse proprie legem Dei, quæ inter se pugnare nemo, credo, est, qui non videat, nisi ego omnino cæcus sum. Deinde probans non proprie esse legē Dei. Et declarauit, inquit, dictū, quod illud proprie Dei esse dicitur, quod ab ipso immediate, & non per alium emanat, sicut res propria dicitur, in qua alius non communicat. Rursus secum pugnare videtur. Concedit. n. legē Moysis proprie legem Dei dici, illud autē proprie Dei esse, quod ab ipso immediate, & non per alium emanat, quare concedat, necesse est, legem Moysis a Deo immediate, & non per aliū emanare, ab eo. n. quod res est, dicitur. ut iam si lex Moysis lex Dei dicatur, lex Dei sit, & si lex Dei proprie dicatur, sit item proprie lex Dei. Illud vero quod addidit, sicut res propria dicitur, in qua alius non cōmunicat, addere debuit, ni fallor, in qua alius non cōmunicat, tanquā Dominus. nihil enim prohibet in re alicuius propria cōmunicare alium tanquam ministrū eius rei, ita ut lex Moysis, propria sit Dei, quæ eam potestate sua propria tanquam Dominus, & auctor per Moysen dedit, Moysis vero, tanquam ministri legis datæ. Sed rursus negare videtur, quod plane concessisse videbatur, subiungit. n. Ideo dicitur lex Moseos, & non proprie Dei, sicut baptismus Ioannis non proprie diceretur baptismus Dei. Aut ego desipio, aut ipse sibi cōtrarius, simul ait, & negat siue ad dici, siue ad ipsum esse, ut ille loquitur, respicias. Relegat ipse sua, & iudicet, vtrum hæc mea sit calūnia, an cæcitas. Ergo tam legem Moysis, quā decalogum immediate a Deo per ministerium Angelorum profectum esse satis copiose locis Scripturæ sanctæ inter se comparatis in meo de Residua Pastorum libro ostendi pagina. 25. 26. 27. 28. Ad quæ loca quāuis Laudator meus, quid responderet, credo non haberet, alioqui suspicor, respondisset, tamen non desinit, quod semel scripsit, defendere, legem Moysis non esse proprie legem Dei, quia non veniat, inquit, immediate a Deo, ut venit decalogus. Quid enim ad defensionem huius dogmatis pertinent, quæ hoc loco commemorat? Euangelium ab ipso Domino traditum esse, legem vero Moysis datam per Angelos, ideoque grauius esse tantam negligere salutem, id est Euā

gelium, quod est in salutem omni credenti, grauius inquam quam fuerit tunc legem illam Moyſis per Angelos datā violare. Quæ omnia veriffima ſunt, neque opus erat auctoritate Gaetani, quem ille tam læpe alias reprehendere ſolet, confirmare, ſed vt dixi, quid hæc pertinet ad id, quod in libro meo testimoniis Scripturæ sanctæ probaui, tum legem Moyſis, tum decalogum ministerio Angelorum vtrumque a Deo immediate profectum eſſe? illud vero, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, ſatis me puto in libro meo auctoritatibus Scripturæ sanctæ demonſtraſſe, accipiendum eſſe de Angelo iuſſu Dei decalogum loquente ad populum, ſicut etiã Angelus legem in Sina locutus eſt Moyſi, quod quidẽ ſi laudatori meo non probabatur, auctoritatibus Scripturæ, verifque rationibus nõ probris refellere debuit. Sequitur iam vt respondeam ad locũ Hieremiæ, quo ſe putat ille probare legem Moyſis non eſſe immediate a Deo. Non ſum, inquit, locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatũ, & victimarum, deinde ſubiunxit, ſi deus que per Moyſem loquebatur, ipſe immediate locutus diceretur, falſum eſſet, quod ait, nõ ſum locutus. Haftenus ille. Sic ergo hic auctor hunc locum interpretari videtur, vt ſit illud, non ſum locutus, perinde atque diceretur, nõ ſum locutus immediate, ſed per Moyſem, nõ quam poteſt intelligere, quemadmodum poſſet Deus loqui immediate, & per Moyſem ritus, & cerimonias legis, & malle videtur dogma non probabile ſũtinere, quã proprie vti verbo immediate, pro eo quod eſt primũ, quo quidem modo contingit aliquid fieri primum, & immediate ab aliquo, tanquam domino, & per alterum, tanquã miniſtrũ. Hunc itaque locũ Hieremię Paulus mihi videtur interpretatus in epiſt. ad Hebr. 6. 10. vt dicat Dominus per prophetam, non ſe præcepiſſe de verbo holocaustomatũ, & victimarum, id eſt non mandaſſe ſe ſacrificia ad mundãdam conſcientiam, ad id. n. obedientiã fidei valere, vnde ſequitur ſtatim, ſed hoc verbũ præcepi eis, audite vocem meam &c. ergo Paulus quia (inquit) impoſſibile eſt ſanguine taurorum, aut hircorum auferri peccata, ideo ingrediens mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti,

& paulo poſt, holocaustomata, & pro peccato nõ tibi placuerunt. Hæc igitur ſacrificia quatenus noluit, & quatenus non placuerunt Domino, eatenus ea nõ præcepit, ſicut per Hieremiam dixit. Ob eandem cauſam apud Ezechielẽ præcepta appellauit nõ bona, id eſt, ad auferenda peccata inutilia. in hæc ſententiã crediderim, dixiſſe Dominũ per Prophetam, non ſum locutus &c. imo vt auctoris huius interpretationẽ propria ipſius ratione refellam, ſi illud, nõ ſum locutus patribus veſtris de verbo holocaustomatũ, perinde eſt, atque diceret, vt hic auctor velle videtur, non ſum locutus, per me ſcilicet, & immediate, ſed per Moyſem, ac propterea vere dicitur Deus ſimpliciter non eſſe locutus, vt ipſe concludit, quæro ego vtrum loqueretur Dominus in Moyſe, ſicut ait Paulus Chriſtum in ſe loqui, nõ credo, negabit, ne negare videatur, quod Petrus ait, omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione nõ ſit, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti homines, quod ſi Deus locutus eſt in Moyſe de verbo holocaustomatũ, ſimiliter atque Laudator meus, concludam ex eo, quod eſt ſecũdum aliquid, id quod ſimpliciter, ergo locutus eſt de verbo holocaustomatũ, ita ſit, vt vltro cõfiteatur, non locutũ eſſe, & ſua, aut ſimili ſuę ratione cogatur cõfiteri locutum eſſe, quæ inter ſe pugnant. Deinde, poſtquam inponenda connexionẽ ex præceptis Dei, & hominum ſeparatim in ſanctis Scripturis cum Ptolemæo, & clarius adhuc cũ Origene ſentire illum demonſtraui, ad hunc locum respondens, fatetur, inquit, hanc differentiam non eſſe meã ſed Origenis & aliorum quorũdam patrum, quorũ non citat nomina, neque ab re, grauabatur. n. auctoritate catholicorum. Origenem tantum nominauit, quoniam eius opera cum auctore damnata ſunt ab Eccleſia, vt ait, neque meminit, etiam recitari continue in Eccleſia pluſculas eius Homilias, neque animaduertit, quod ſinguli errores Origenis notati ſunt a beato Hieronymo, & aliis, inter quos hic error non legitur. ſolus homo iſte propria auctoritate dãnatur, quod & alii catholici docuerunt. Hæc ille. Satis ſe putat defendi Origenis auctoritate, & inter Patres numerandum iudicat, quem nullus Patrum, neque vlla ſynodus numerauit, quia ſcilicet non fue

rit ex eorum numero, qui vt Martinus primus de catholicis Patribus dixit, vsque in finem indefectibiliter in fide permā ferunt. imo damnatus est in quinta synodo, & in cæteris deinceps œcumenicis concillis eius damnatio renouata est, & confirmata, eiusque anathema a Iustiniano Imperatore litteris de damnatione eius, & erroribus ad Ecclesias oriētis misit, publicatum, quod vero Ecclesia aliquas eius Homilias legit, facit iuxta Pauli sententiam, Omnia probate, & quod bonum est tenete. Vt ex libro Enoch apocrypho Prophetiam sanctam legit, & Paulus sententias poetarum mutuatus est. Origenem certe prouide, & caute legendum esse veteres monuere, quod etiam beatus Bernardus in sermone de verbis Origenis meminit, Neque hoc, inquit, silendum arbitror, quod euidētissime illum nonnulla cōtra fidē scripsisse sanctorum Patrum tradat auctoritas, atque ideo nō sine circūspectione monet esse legendum. Quod autē ait, Hieronymū singulos Origenis errores, ac fabulas notasse, in quibus non sit hic error notatus, vellem indicaret, vbi singulos eius errores, qui fuerunt pene innumerabiles, Hieronymus, aut alii notarint. Deinde subiungit, solus hic homo propria auctoritate damnatus, quod & alii Catholici docuerunt &c. Et quis sum ego, vt propria auctoritate damnetur? aut si quid damnatum esse dixerō, cur mihi credi debeat, nisi ita esse demonstrauerō? si quod refello, & sanæ doctrinæ repugnare doceo, dānare est, fateor me damnare, at non propria auctoritate sed Scripturæ sanctæ auctoritate, quod si alii Catholici hoc aliquando docuerunt, non est discendum, aut tenendum quicquid a Catholicis doceatur, & traditur, sed quicquid a Catholicis, & Catholice, quale nō est, quod hic auctor alioqui Catholicus defendit, aliquid Moysem propria auctoritate sanxisse, quod quidem qui cum pertinacia pergat defendere, fortasse Catholici nomē amittat. Est. n. hic error, vt sæpe dixi, Ptolemæi hæretici ponentis connexionem ex Diuinis & humanis in vetere Testamēto, sicut Laudator meus in vetere, & in nouo ponere fortasse videatur. Sed recitabo hic ex epistola Ptolemæi ad Floram sororem, quæ huc pertinent, & sancti Epiphani confectionem, vt iam qui Laudatoris mei sententiam te

mere pertinaciter voluerit, agnoscat se in Ptolemæo a sancto Epiphanio confutatum, & de eo post hac queratur, non de me. Primum igitur (inquit) sciēdum est, vniuersam illā legē, quæ in. v. libris Moyſis continetur, non ab vno aliquo sancto tam esse, non inquam, a solo Deo, sed esse quēdam eorum præcepta, etiam ab hominibus data, & trifariam hanc diuisam esse Saluatoris verba nos docēt nēpe in ipsum Deū, eiusque legem, deinde in Moysem, non quidem quatenus per eū sancit Deus, sed quatenus Moyſes, suo sensu, & mente quādam statuit, postremo in seniores populi, qui primi mandata quādam propria dederunt. quemadmodum vero hæc ita sint, ex ipsius Saluatoris verbis perspicitur. Cum .n. aliquando de repudii libello, qui lege erat permissus, ab eo quæreretur, respondit, Moyſes ad duritiā cordis vestri permisit, dimitte re vxorem, a principio autem non sic, Deus. n. inquit, hoc cōiugium fecit, & quod Dominus coniunxit, homo ne disiungat. Quo in loco alteram quidem Dei legem demonstrat, quæ virum ab vxore separari prohibeat, alterā vero Moyſis, quæ ob duritiā cordis permittit, cōiugium hoc solui. Atque hætenus quidē contraria Deo sancit Moyſes, contraria. n. sunt coniungi, & disiungi. Verum si qua mente, & sententia hoc Moyſes statuerit, inquisierimus, reperimus non voluntate, sed necessitate propter infirmitatem, inquam, eorum, quibus lex data erat, hoc statuisse. Quia. n. voluntati Dei morem gerere nō poterant, dum inuiti cum eis habitabant, quas excludere non licebat, periculumque erat, ne odio primum, deinde iniuria maiore se irent perditum, cum vellet Moyſes euellere hoc odium, quod ad eorum interitum spectabat, eo necessitate adductus est, vt maius malum minore cōmutans, secundam legem, libelli inquam, repudii ἀφ' ἑω τού id est, sua auctoritate illis cōstitueret, vt si illam Dei legem seruare nō possent, hæc saltem Moyſis seruarent, & ne ad iniurias, & maleficia in perniciem suam sūmā conuerterentur. Hoc fuit Moyſi propositum, ac consilium legem Deo contrariam ferendi. Atque esse quidem aliam Moyſis legem a lege Dei non cadit in dubitationē, quāquam vno id exemplo demonstrauerimus. Hæc Ptolemæi, cum quo quantū conueniat Ori

- genes, vt ex comparatione vtriusque perspicui possit, repetam  
 - hic iterū. quæ in libro meo priore ex Homilia eius Num. 16.  
 - recitauit. Multa, inquit, per Moysen locutus est Deus, aliqua  
 - tamen & Moyses propria auctoritate madauit, quod Domi-  
 - nus in Euangelio euidētissima ratione fecernit, cum dicit de  
 - repudio mulieris interrogatus, Quia ad duritiā cordis vestri  
 - scripsit vobis hæc Moyses, ab initio autem nō fuit sic. Et pau-  
 - lo post, Vides ergo & hic Deum quidē nō præcepisse, neque  
 - voluisse fieri diuortiu, Moysen vero propter duritiā cor-  
 - dis Iudæorum scripsisse dandum esse repudiū? Ostendit hæc  
 - & Paulus in literis suis, cum dicit de quibusdam, Dominus  
 - dicit, nō ego, & de aliis, Hæc autem ego dico, non Dominus.  
 - Et iterum in aliis, Præceptum Domini non habeo, cōsiliū  
 - autem do, & iterum, Quæ loquor, non loquor secundū Deū.  
 - Vnde similiter in cæteris Prophetis aliqua quidē Dominus  
 - locutus est, & non Prophetæ, alia vero Prophetæ, & non Do-  
 - minus. Hæc Origenes. Quantum vero cum utroque, id est  
 - cū Ptolemæo, & Origene Laudator meus conueniat, & qui  
 - cunque legem distribuunt in Dei, & Moysis, & qui in nouo  
 - Testamento tradunt præcepisse aliquid Apostolum *ἐφ' ἑω-*  
 - *ταῦ* id est, ex persona sua, vt loquuntur, qui hoc docent, eos idē  
 - constituo iudices. Sed videamus quemadmodū sanctus Epi-  
 - phanius legis in duas illas partes priores distributionem ad-  
 - uersus Ptolemæum confutat, vt se quoque isti vna cum Pto-  
 - lemæo confutari intelligant. Ne vero, inquit, tres tuæ dictiū  
 - culæ, quas in tuis ad Floram litteris iactas, sine quæstione, &  
 - examine prætereantur, easdem ipsas dictiones, earumque  
 - necessariam cōfutationem, ne vlla radix sati zizanii relinqua-  
 - tur, deinceps ordine adhibebo. Ais. n. legem esse diuisam in  
 - partes tres, habere inquā, tum aliquid Dei, tum aliquid Moy-  
 - sis, tum aliquid seniorum, ac partem quidem seniorum, quā  
 - putas, nusquam potes scriptam indicare. Et paulo post, confu-  
 - tata hac tertia parte seniorum, secundā illam Moysis his ver-  
 - bis refellit. Quæ vero a Moysē sancita sunt, nō sunt sine Deo  
 - sancita, imo a Deo per Moysē, id quod ex ipsa Christi re-  
 - sponione perspicui potest, quod. n. citasti testimonium, aduer-  
 - sus te citasti. Ait. n. Dominus in Euangelio, Moyses scripsit ad  
 - duritiā

» duritiā cordis vestri, quod autem scripsit Moyses, non si-  
 » ne volūtate Dei scripsit, sed potius ex Spiritu sancto sanxit.  
 » Ait. n. Dominus in Euangelio. Quod Deus coniunxit, homo  
 » non separet, quemadmodum autē coniunxisset, vt intellige-  
 » remus, explanauit, his verbis. Propter hoc relinquet homo  
 » patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in  
 » carne vna. Deinde subiungit, quod ergo Deus coniunxit, ho-  
 » mo non separet. Atqui nusquam hoc Dominus dixerat, cum  
 » Adam, & Euam formauit, nisi illud solum, faciamus, inquit,  
 » ei adiutorium simile ipsi. Hoc vero ab Adam dictum est, quā-  
 » do a somno excitatus, dixit, hoc nunc os ex ossibus meis, &  
 » caro de carne mea, ipsa vocabitur virago, quoniam de viro  
 » suo sumpta est. Deinde ait, propter hanc relinquet homo pa-  
 » trem, & matrē, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne  
 » vna, cum igitur non hoc Deus dixerit, sed Adam, Dominus  
 » tamen in Euangelio testatus fuerit, Dei esse hoc dictū, quod  
 » per personam Adæ dixerit, res ipsa declarat, dixisse quidem  
 » Adam, quod Dei volūtas elocuta sit. Adhunc modum in hoc  
 » loco Moyses quidem legem tulit, quam ei Deus enuntiauit,  
 » atque hæc quidem tuæ dictiones duæ ceciderunt, neque lon-  
 » ge petita confutatione, sed ducta ab ipsa auctoritate. Hactē-  
 » nus sanctus Epiphanius. An non videt Laudator meus, quæ  
 » admodum velit sanctus Epiphanius eodem modo, eadēque  
 » ratione legē Moysis legem Dei & esse, & dici, vt dictū Adæ,  
 » dictum Dei & est, & dicitur? & quemadmodū Ptolemæum  
 » hæreticum accuset, & confutet, quia non ita senserit? Quid  
 » ergo sibi vult hoc loco illa, quam introduxit, distinctio inter  
 » esse legem Dei & dici? At confitetur hic auctor, Moysen  
 » quidem, Deo volente, & inspirante, locutum fuisse, quod for-  
 » tasse negabat Ptolemæus, non tamen vt Prophetam locutum  
 » esse, vt quidem locutus sit Adam, sed ex potestate, vt legislato-  
 » rem, & idcirco legem Moysis non esse proprie legem Dei.  
 » Age, si ita volente, & inspirante Deo, legem repudii, & simi-  
 » les sanxit Moyses, vt eiusmodi inspiratio non ea sit, quæ fa-  
 » ciat, vt hæc sint proprie Dei leges, quia eas ex potestate tāquā  
 » legislator locutus sit, edisserat hic auctor, si potest, quid ha-  
 » ctenus differant huiusmodi leges Moysis a bonis, & iustis le-

gibus Iustiniani, aut Leonis, aut aliorum Imperatorum. Horum. n. iustæ leges a Deo perfectæ sunt, a quo omne datum optimum, & omne datum perfectum descendit, & per quem, sicut ait Scriptura, Conditores legunt iusta decernunt. Scilicet hic erat Ptolemæi error, ponere leges Moyses tanquam cuiusdam hominis sua auctoritate legislatoris. Sed nequid prætereamus, videamus, quale sit, quod sentit, Moysen non ut Prophetam locutum fuisse legē. Quod quidē idē quoque Epiphanius refellere mihi videtur, siue quia id alii dicerēt, siue ne dicerent, hac confutatione cauens. Sic. n. statim subiungit. Ac quod lex Moyses lex quidem Dei sit, perspicuum est.

» In vniuersa autem lege sancit Deus, alia quidem in tempora,

» alia vero ad figuras, postremo alia ad reuelationem futurorum

» bonorum, quorum exitum post aduētum suum Christus in

» Euangelio demonstrauit. Hæc ille. Qui ergo Moysen negat

» locutum esse legem, ut Prophetam, idem negat, aut non fuisse in lege Moyses typos, & figuras futurorum, aut non intellexisse eū Prophetice, & spiritualiter eiusmodi typos, & figuras. Vtrumque vero impium & blasphemum est. Cum enim Moyses legem dedit de nō obligando ore bouis trituratæ, an non illam in Spiritu dedit? Prophetice intelligēs, hoc Deū per Moysen propter ministros Ecclesiæ dicere, qui tanquā agri Dominici aratores spiritualia semināt, ut nobis Apostolus interpretatus est? Quo in loco illud etiam obseruandum est, quemadmodum cum dixisset Apostolus scriptum esse in lege Moyses, non alligabis &c. statim subiunxit, tanquam ea lex proprie esset Dei, nunquid cura est Deo de bobus? Præterea velamen, quod Moyses ante faciem ponebat, quemadmodum intelligebat Moyses euacuari in Christo, ut idem Apostolus ait, sine Spiritu Prophetiæ? aut quomodo velamen erat in lege Moyses, nisi aliquid erat in eo velatum? Ut quidē erat velata œconomia Christi, purgatio peccatorum, asperio sanguinis Iesu Christi, cessatio legis, abiectio Synagogæ, & vocatio gentium. Quemadmodum hæc Laudator meus dicat non esse locutum Moysen, ut Prophetam? quem sancti Patres tradunt edoctum fuisse a Deo, spiritualiter intelligere legem? Quare necesse est, ut eam tulerit, non tanquam le-

gislator vnus de vulgo verba, & formulas tantum præscribens, sed tanquam legislator Propheta, & spiritualis. Vide, quid Apostolus dicat de iis, quæ Moyses, siue Deus per Moysen sanxit. In priori quidem, inquit, tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consumantes, in secundo autem semel in anno solus Pontifex nō sine sanguine, quem offerret pro sua, & populi ignorantia, hoc significante Spiritu sancto nondū propalatum esse sanctorum viam, ad huc priore tabernaculo habente statum, quæ parabola est tēporis instantis, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectū facere seruientē &c. Aut ergo hoc ignorabat Moyses, quod dicit nemo, aut hæc cum Spiritu Prophetiæ sanxit, & constituit, quod debet concedi. Et paulo post. Neque primum quidē Testamentum, inquit, sine sanguine dedicatū est, lecto. n. omni mandato legis a Moysē vniuerso populo, accipiēs sanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo ipsum quoque librum, & omnem populū asperfit, & omnia pene in sanguine secundū legem mundatur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidē cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quam istis &c. At quemadmodū de exemplaribus cœlestium sancire aliquid poterat sine Spiritu Prophetiæ? aut quemadmodum sine eo intelligere posset, esse illa exemplaria eorū, quæ in Ecclesia nostra, quæ est Hierusalē cœlestis, sicut Apostolus ait, facta sunt, & fiunt? Sed fortasse dicit hic auctor, quod Moysen dixit locutum fuisse, nō ut Prophetam, sed ex potestate, tanquam legislatorem, de libello tantū repudii dixisse, ergo cætera legis Mosaicæ, quæ tanquā Propheta locutus est Moyses, concedet quod hastenus negauit Dei esse proprie, quia Spiritu Dei sancita sint. Quamquā libellū etiam repudii Prophetice sanxisse Moysen, ex alia Scriptura licet intelligere, ut cum ait Esaias. Hæc dicit Dominus, quis est hic libellus repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce. n. in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrē vestram. Quia veni, & nō erat vir &c. Erat itaque ille libellus repudii a Moy-

se sancitus, typus repudii synagogæ, id quod intelligi quoque potest ex Osea, qui iussu Dei vxorē duxit fornicariam, ex qua filiam suscepit, quā appellauit non misericordiā, vt figura esset, & typica Propheria Synagogæ propter spiritualē fornicationem repudiandā, sicut Dominus per eundē Prophe- tam Oseam dixit, dicite fratribus vestris, populus meus, & forori vestræ, misericordiā cōsecuta, iudicate matrem vestrā, iudicate, quoniam ipsa non vxor mea, & ego nō vir eius. Auferat fornicationes suas a facie sua, & adulteria sua de medio vberū suorum, ne forte spoliem eam nudam, & statuam eam secundū diem natiuitatis suæ. &c. Ergo sicut Apostolus legem sancti coniugii carnalis anagogice, & mystice ad spirituale coniugium Christi, & Ecclesiæ referens, sacramentum, inquit, hoc magnū est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, sic dicere liceat de lege illa repudii in Deut. scripta, si acceperit homo vxorē, & habuerit eam, & non habuerit gratiā ante oculos eius propter aliquam fœditatē, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eā de domo sua, dicere inquam liceat de hac lege, mysterium esse non parū in Christo, & in Synagoga, quamquidē repudiavit propter fœditatem spiritualē. Quod si illa repudii lex, spiritualis, est, & in ea continetur κατὰ τὸ πνεῦμα Propheria futuri, sequitur non fuisse voluntate humana, vt beatus Petrus ait, neque sensu humano allatam, sed Spiritu sancto per Moysen loquēte.

- Sed respondeamus iam ad locum Hieronymi, quem hic auctor citat, sed vt obstruatur (inquit) contumeliosum, & vanum huius hominis os, qui in nobis Spiritum hæreticum intuitus est, audiat beatum Hieronymū. ea verba Domini. his verbis exponentem, nunquid potest Deus sibi esse cōtrarius, vt aliud ante iusserit, & sententiā suam nouo frangat imperio? non ita sentiendū est, sed Moyses cum videret propter desiderium secundarū coniugum. primas vxores interfici, maluit indulgere discordiam, quā odia, & homicidia perseuerare.
- Simulque considera, quōd nō dicit, propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses, vt iuxta Apostolum consilium sit hominis, nō imperium Dei. Deinde subiunxit. Hæc ille e diametro destruens huius viri sententiam &c. Præ-

termis loci huius conuitiis. Quod ait, me esse in eo intuitū spiritum hæreticum, equidem neque intuitus sum, vt ille loquitur, neque adhuc intueor, qui ex Apostolo didici, eum esse hæreticum, qui iam subuersus sit, & suo iudicio damnatus, id est, vt magnus Athanasius in quodam loco interpretatur, qui neque paratus est discere, neque cum didicerit, parere. Laudatorem vero meum, tametsi hoc interdū cum pertinacia defendere videatur, spero tamē desitutum eū aliquando, facturumque, quod olim sanctissimi, iidemque sapientissimi Patres facere non dubitarunt, simul atque veritatis lucem semel aspexerit, quod me quoque, qui nihil sum, facturum libere in priore meo libro vltro promisi, & promitto modo iterum, imo habiturū me. ingentes gratias, si quis me errasse aliquādo monuerit. Homo. n. sum, & humani a me nihil alienum puto. Vt autem ad Hieronymū redeam, absit, vt in sanctissimo Patre, & Ecclesiæ Catholice Diuino magistro, & Origenis correctore Spiritū Origenis, aut Ptolemæi agnoscam. Tametsi ego non sic sanctorū scripta legenda esse didici, vt Scripturas Canonicas. Illa. n. sic esse legenda, vt credam, eorum auctores aliquando errare potuisse, ita vt si quid tandem erroris in eis reperiam, neque mirer, neque cōtinuo aures ipsos accusare audeam. Huiusmodi est hic locus Hieronymi, qui, vt quod sentio, dicam, mallet sic scriptus esset, vt fortasse erat, simulque cōsidera, quōd nō dicit, propter duritiam cordis vestri iussit vobis Dominus, sed permisit vobis Moyses, vt iuxta Apostolum consilium sit hominis, non imperium Dei. Alioqui. necesse erit, vt sit apta verborum consequentia, permillum Dei pro imperio eius accipere, quod nouum est, & inusitatum. Quemadmodū. n. nisi ita dicamus, sequeretur, ideo non dixisse propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed permisit Moyses, vt nō imperium Dei, sed cōsiliū hominis esset? Deinde quod subiunxit, vt iuxta Apostolum consilium sit hominis, plane declarat, sic esse hoc loco accipiendū consilium hominis, id est, Moyses, vt illud in Paulo accipitur, cōsiliū autem do, quod nemo Catholicus dicat non esse consilium Dei. Sic. n. Dominus in Euangelio idem de virginibus cōsuluit his verbis, sunt, inquit, qui se ca-



strauerunt propter Regnum cœlorum, deinde subiūgit. Qui poterit capere, capiat. Quod. n. ait, qui poterit, declarat non esse hoc præceptum, quia arduum & difficile, quod vero ait, capiat, consilium esse. Hoc autem sensisse Hieronymū de huiusmodi permisso, siue consilio Moysis, esse scilicet Dei consilium, dubitarit nemo, qui credat, & sciat cōsiliū Pauli, Dei esse consilium, idque Hieronymum neque ignorasse, neque negasse, præsertim cum dicat, vt iuxta Paulum consilium sit hominis &c. Quid igitur hic habet Laudator meus, quod quasi iam vicerit, ita triūphet, & me cum risu appellet, heus igitur, inquit, bone vir, & pugnator egregie. Quod vero postea addit, reprehendere me, quæ a viris sanctis, & doctis, nemine contradicente, scripta sunt, hoc profecto nūquam dixisset, si vel epistolam Ptolemæi ad Floram sororem, & sancti Epiphaniī confutationem legere, quod in libro meo satis ad monuisse videbar, voluisset. Verum neque legere voluit, neque curare, vtrum Ptolemæus, an Theodorus appellaretur, vt ipse in Apologetico suo appellauit. Sic. n. scripsit. Nunquid in beato Hieronymo spiritum Origenis, aut Theodori hæreticorum agnoscis? Sed vt hunc locum finiam, scripseram in libro meo, sic legem Moysis Dei legem esse, sicuti quod Adam dixit, propter hoc relinquet homo, & quæ sequuntur, Dominus in Euangelio dixisse testaretur. Laudator vero meus, credo, vt ad hoc responderet, Moysen cum Adam cōparans, illum dixit, non vt Prophetam locutum esse, sed vt legislatorem, Adam vero vt Prophetam, de Moysē satis me puto docuisse, vt legislatorem simul & Prophetam locutum esse. Superest, vt de Adam rursus admoneam, non solum vt Prophetam locutum esse illud, os nunc ex ossibus meis, & quæ sequuntur, quod Laudator meus confitetur, sed, vt legislatorem huius legis connubialis, quod negare videtur. Hanc. n. legē coniugii Dominus per Adam sanxit, sicuti legem Deuteronomii per Moysen, quod satis ex Euangelio perspici potest, & cū alii Patres tradunt, tum sanctus Asterius Episcopus Amasæ in Homilia de quæstione Phariseorum, vtrum liceret, quacūque causa vxorem dimittere. &c. Interpretans. n. illud quod Adam dixit, os nunc ex ossibus meis, &c. Per vnā per-

sonam Adæ, ait, factam esse vniuersis vxoribus a viris suis promissionem inseparabilis coniugii, quæ tanquam lex esset colēda. Et paulo post. Quemadmodum, inquit, vinculum arripes lege, & natura alligatus? Et in extremo. Si ergo, inquit, quæ sine causa dimissa est, vocet te in iudicium coram iudice, eodemque teste, quid dices? quomodo delebis vocem, quam coram Deo emisisti? cuius scriptor siue notarius fuit Moyses? Hęc ille. Dicat ergo Laudator meus, si illius promissionis, ac legis scriptor tantum fuit Moyses, quis fuerit lator eius nisi Adam, siue Deus per Adam? sicut Deus Deuteronomii per Moysen. est igitur locutus Adam vt Propheta, simul etiā vt legislator legis huius. Venio iam ad alium locum, in quo me ait, de cœlibatu, idest de continentia sacri ordinis scripsisse, iuris Diuini esse, contra omnes doctores, & Ecclesiæ sensum, ac diffinitionem, quos vero doctores diceret, deinceps declarauit, nēpe scholasticos, pro quibus ego veteres sanctos Patres, & grauissimos Scripturæ sanctæ interpretes multos in libro meo de canonibus sextæ synodi citauit, qui hoc traiderent, & affirmarent vt Dionysium Arcop. Sixtū. ii. Siritiū Innocētiū primū, Hieronymū, Ephrem Syrum, Greg. Nyssenū, Epiphā. Eusebium Cæsar, & alios, neque diffinitionem ecclesiæ vllā contra me recitat. Ego vero præter Patrum testimonia, recitauit in hanc de cœlibatu sententiā cōcilii Africani decretum sanctissimum, & clarissimum. Imo neque Canones Pontificios, quos dicit ex. 6. libro Decretalium vllos recitauit, neque recitare potuit. Et quem recitauit ex titulo de voto, & voti redemptione, bona eius pace dicam, non recte, neque ad rem citauit. Neque. n. est in eo capite, quod Laudator meus recitat, ex sola Ecclesiæ constitutione inuentū esse insolubile debitum continentie in iis, qui sacros ordines suscipiunt, sed illud, ex sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse voti solēnitatem. Quare si soleanne votum dirimat matrimonium post contractum, poterit rursus eadem Ecclesia cauere, ne dirimat, quia possit, cauere, ne soleanne sit. Non tamen continuo sequatur, vt si matrimonium post contractum non dirimitur, votum continentie sacri Ordinis soluatur necessario, aut solui possit, quasi non possit esse cōiugium, nisi

tempora coniugū misceantur, aliud est esse in coniugio, aliud dare operam liberis. Vt ergo qui sacri ordinis sunt, ab iis vxoribus, quas ante habebant, vt habent in Græcia, perpetuo se deinceps continere debent, quod testimonijs Scripturæ sanctæ, & sanctorū interpretum, atque auctorum, satis docui, sic Laudator meus cogitare poterat, imo debebat, posse quidem ab Ecclesia constitui, vt facer ordo matrimonium postea contractum, si forte contraheretur aliquando, non dirimeret, nō tamen continuo sequi, vt possent misceri, nisi id rursus Scripturæ sanctæ, & sanctorum Patrum testimonijs doceret, atque confirmaret. Verum Laudator meus non videtur hæc duo separare voluisse, matrimonium, & vsum matrimonii, vt nunc loquimur. Adhuc itaque modum, meam, imo Catholica Ecclesiæ de continentia sacri ordinis sententiā, tametsi ab Apologetico suo alienū erat, refellit, locis Scripturæ sanctæ, & sanctorum Patrum tum interpretationibus, tum auctoritatibus, deinde summis tribus Pōtificibus sanctiss. & sapientiss. Sixto. ii. Innocētio. i. Siritio, postremo synodo Carthagin. ii. & Ecclesiasticæ traditioni scholasticos cum Thoma, & Decretalem, vnam tum deprauatam, tum perperam intellectam his verbis opponens. Errauit ergo, inquit, vniuersus scholasticorum cœtus, & beatus Thomas, & paulo post, verum nō solum sanctus Doctor, sed & Pontificii Canones idem asserunt, vt patet in. vi. lib. Decr. sub titulo de Voto, & Voti redemptione &c. Quod si nō hoc solum de cœlibatu, sed alia in libris meis notare aliquādo, & refellere voluerit, non querar, sed boni consulam, faciamque non ego, sed gratia Dei mecum, vt id eius studium, & labor cum mihi, tū alijs utilitatem afferat, & ego eum vicissim simili fortasse studio, & officio remunerabo, idem illi, atque mihi optās, vt inquā, tū ei, tū alijs, vtile id sit. Deinde vt ordine per omnia pergā, multa ex libello suo priore repetit, quæ quidē fere omnia, cū confutarim, siue vt ipse ait, reprehēderim, miror, si se inique reprehensum, & leuiter confutatum putabat, cur non responderit, nisi respondere est, eadem sua iterum recitare, quia scilicet non omnia ipse in libro meo recitarim, iis cōtentus, quæ mihi ad refellendum satis esse videbantur. Verum ex his multis

tis a me confutatis, ad illud respōdet, quod refellebam ego, & ipse affirmabat, nempe quæ variationem, & dubitationem ex emergentibus casibus accipiunt, determinationem esse sapientem. Quare non posse constanter dici iuris Diuini esse. Nam quæ proprie, inquit, iuris Diuini sunt, certa sunt, & immutabilia, Hoc ego refellēs, ergo neque vota aiebam, neque iuramenta iure Diuino iam sancita erunt, quoniam cadat in ea ætatis, personæ, materiæ, & aliarum qualitatum varietas. Rursus ille ad hoc respondens, & me redarguens, tradit vota, & iuramenta generaliter quidē iuris Diuini esse, sigillatim vero non esse. Deinde subiungit, intelligat ergo, si vult aliquando, multo aliud esse, dicere votum, & iusiurandum sic generaliter acceptum, esse de iure Diuino, quod significat, generaliter Deum probare vota, & iuramenta, velleque ea seruari, quantum fas fuerit, aliud vero, dicere hoc, vel illud siue votum, siue iuramentum esse de iure Diuino, ita vt ad cuiusque voti, vel iuramenti obseruantiam immutabiliter quisque teneatur de iure Diuino &c. Non credo, loquitur Laudator meus de cōmunibus Votis, & iuramentis intelligibilibus, quæ nō existunt in rerum natura, sed solum *vota* sunt, quasi Deus legem de iis sanxisset, quæ in vitam hominis cadere nō possunt, perinde. n. esset, hoc ac si de homine illo cōmuni neque ex neruis, neque carne, neque ossibus constante aliquid in Euangelio statui diceremus. Ergo si vota, & iuramenta nostra generaliter accepta, esse de iure Diuino, est Deum probare generaliter uota, & iuramenta, velleque ea seruari, quā tum fas fuerit, cum hoc idem in singulis uotis, & iuramentis eueniat, probat. n. Dominus prius singula vota, & iuramenta, si iusta sint, & legitima, & ea seruari vult, quantum fas est, id est, quandiu causa & ratio ea seruandi existat, vbi. n. causa non hæret, vt sæpe diximus, vitium non imputatur, erunt ergo similiter iuris Diuini singula vota. Cum autem huius, aut illius siue voti, siue iuramenti seruandi causa, & ratio non existit, tunc ne seruetur, dispensat, & ordinat Pontifex, ad quem pertinet, id videre, & iudicare tanquā ad iudicē, & patrem familias in domo Dei, quæ est Ecclesia. Ponere vero Vota, & iuramenta generaliter Diuini iuris, sigillatim autem hu

mani, perinde est, atque si quis diceret, velle Deum generatim hominem saluū fieri, non sic tamen homines sigillatim. Sic. n. interpretatur hic auctor, vota, & iuramenta esse generaliter iuris Diuini, id est, Deum generaliter probare vota, & iuramenta, & velle ea seruari, quantum fas fuerit, singularia vero non ita, oblitus credo, quod olim ex Aristotele didicerat, vniuersale aut nihil esse, aut posterius esse, non re. n. sed ratione distingui inter se, quatenus vniuersale posterius, & remotius est singulari, singulare autem prius, & propinquius vniuersali. hoc ergo interest inter dispensationem singularis, & cōmunis voti cadentis in rem, non autē solum in intelligentiam, quōd scilicet prius, & propinquius dispensatur hoc uotum, posterius vero, & remotius uotum, sicuti Aristoteles tradit in *Physicis* lib. 2. prius, ac propinquius fieri hanc statuat, posterius vero, & remotius fieri statuam, ita vt nō possit, fieri hęc statua, quin fiat statua, cum re idem sit vtrūque. hoc autem interest, quod dixi de ratione prioris & posterioris. Ex quo similiter intelligere licet, cōmune, & vniuersale uotum, aut nihil esse, aut si aliquid est, vt quidem est, nō esse aliud, quā singulare uotum hoc, aut illud. Hoc solum inter esse, quōd prius & sensui propinquius, hoc uotum fit, aut dispensatur, posterius vero, & a sensu remotius uotum. Quare falsum est, dispensationem cadere in singulare uotum, & nō in vniuersale, quōd perinde est, atque diceretur, posse ædificari hanc domum, & non ædificari domū. Venio ad aliud, quod in libro meo reprehendit, Scripsērā quietem diei Dominici Canone Apostolorum sancitam fuisse, ac proinde lege Diuina, idque sanctum Anastasium testari. Is. n. Canonem recitat in libro, quē *ἀσπύριον* inscripsit. Meminit præterea eius Canonis Imperator Leo cognomēto sapiens, in nouella. 54. quam de quiete huius diei sancit his verbis, interpretabor

» Latine. Sancimus (inquit) & nos quod Spiritui sancto, &

» Apostolis ab eo institutis visum est, vt omnes diem illum Di-

» uinum, quo immortalitas nostra renouata est, in quiete, & va-

» catione operum agitent, ita vt nemo neque agricola, neque

» alius vllum opus, quod non ad diei festi legem ac ritum per-

» tineat, facere audeat. Etenim si qui olim vmbas, & typos in

» honore habebant, tantæ religioni, atque honori Sabbatū ha-

» bebant, vt omnino eo die ab omni opere requiescerent, quē

» admodum liceat, eos, qui gratiæ, & veritatis cultores sunt, nō

» illum diem honorare, quem Dominus omni honore affecit?

» & quo nos a fœdo interitu liberauit? Et paulo post, Quam-

» obrem & nos edicimus, vt omni mercatura, & agricultura,

» atque omni opere seruorum, aut ad operas damnatorum

» intermisso, operam demus Ecclesiis, Deum in hoc potissimū

» die cognomento Dominico laudibus celebrantes, quia eo

» die solem iustitiæ splendentem Christiani viderimus. Hęc

» Leo. At hic auctor cōtra, inquit, me docuit beatus Thomas,

» qui ait a constitutione solum Ecclesiæ, & cōsuetudine popu-

» li Christiani loco Sabbati successisse, & ideo non esse ita ar-

» ctam eius obseruantiam. Profecto si sibi ille constare voluif-

» set, respondere debebat, esto, canone Apostolorum Domini

» ci diei quies sancita esset, nō tamen lege Diuina cōtinuo san-

» cira. Hactenus. n. non distinxerat ius Apostolicum a iure Ca-

» nonico siue Ecclesiastico, non inquam distinxerat Canones,

» & præcepta Apostolorum, a legibus, & præceptis Ecclesiæ

» humanis, nunc vero velut distinguens ius Apostolicum a iu-

» re Ecclesiastico, & auctore auctori opponens, contra, inquit,

» docuit me beatus Thomas, qui ait a constitutione solum Ec-

» clesiæ, & quæ sequuntur a me iam recitata. Quod vero ait,

» ideo nō esse tam arctam Dominici obseruatiā, quia in Sab-

» bati locum successerit ex Ecclesiæ constitutione, & consue-

» tudine populi Christiani, idque ex Thoma didicisse, signifi-

» care videtur, futuram fuisse magis arctam, si nō humano, sed

» potius iure Diuino sancita esset. Quā arctā obseruatiā Do-

» minici diei, aut quā laxam ipse ponat, nescio. Ego vero tam ar-

» ctam esse intelligo, vt qui in eo opus seruile, aut aliquid, vt

» Græci dicunt, τῶν μὴ νομιμμένων aut qui volūtares carnis suæ

» in eo fecerit, Dominici diei religionem violet, rursus non tā

» arctam esse, vt vnusquisque Iudaica religione apud semetip-

» sum manere, & non egredi de loco suo debeat, sicut de Mo-

» saico Sabbato scriptum est. Fingamus igitur Ecclesiæ tantū

» decreto, & populi Christiani consuetudine, vt hic auctor su-

» spicatur, sancitā esse nūc huiusmodi, quam dixi, obseruatiā,

Quæro, si ea rursus iure Diuino, quod ego aio, decreta, & cōstituta esset, an esset arctior quàm dixi? credo, negabit, an ita arcta, atque erat Sabbati obseruantia? & id magis negabit. quid ergo est, quod ait, tradi a sancto Thoma, idcirco obseruantiam Sabbati nō esse tam arctam, quia a constitutione solum Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani in locū Sabbati successerit? quod certe minime tradit, ut ex. 2. 2. q. 122. ar. 4. ad. 4. perspici potest. Sic. n. scripsit. Neque. n. huiusmodi obseruatio est figuralis, sicut fuit obseruatio Sabbati in vetere lege, & ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut in die Sabbati. Hæc. Thomas. Verum Laudator meus quo magis probare videretur, Dominici diei quietem ab Ecclesia institutam, ac sancitam esse, dixit, idque a sancto Thoma doceri, inde fieri, ut non esset nunc tam arcta Dominici obseruatio, atque olim Sabbati Mosaici, ut cum hoc negare non possemus, neque illud, vnde hoc fiebat, negaremus. At sanctus Thomas nō ita in arctum coegit nos, vt si iure Diuino Dominici diei quietem sancitam esse diceremus, idcirco tam arctam ponere nobis necesse esset, atque olim Sabbati, aut si non tam arctam poneremus, vt certe non ponimus, hac rursus ratione ab Ecclesia institutā, ac sancitam esse, esse constitendum. Non inquam, hoc docuit, aut uoluit Thomas, sed potius rationem tam arctæ obseruationis Sabbati fuisse, quia figuralis esset, at in Dominico die non ita, quia obseruatio eius non sic figuralis esset, id est, illa, manere apud semetipsum, & non egredi de loco suo die septimo, & non tollere vllum pondus manibus, & cætera omnia, quæ ad legem arctæ quiescendi Sabbato Mosaico pertinerent, ideo præcepta, & sancita fuisse lege, quia typus, & figura essent Sabbatismi cælestis, & interim spirituale Sabbatum in vita agitandi, & ab omni peccato quiescendi, quod in primis quia lex spiritualis erat, sub illa umbra, & littera Sabbati carnalis, & sub illo velamine spiritualiter præcipiebatur. Iudæi. n. quia propter imbecillitatem, vtpote carnales, intantam gloriam, & lucem veritatis ac cultus in spiritu aspicere non poterant, nisi posito velamine multiplici, neque erant maturi, & idonei ad capiendam legem Spiritus, quæ est lex libertatis, id est, Euāgelium,

interim tãquam paruuli sub pædagogico Moyse, & sub Spiritu seruitutis, in timore maledicti legis, & mortis uiuebant, seruietes multiplicibus, & laboriosis iustitiis litteræ & carnis, ut in Sabbati lege cernitur. At nos, qui per Dei gratiam desuimus esse paruuli, & reuelata facie, id est, sublato velamine ex corde per fidē, & aperto nobis Euangelio, speculamur veritatem, & gloriam Euangelicæ legis, quæ omnia ad perfectum adduxit, pro illa corporali quiete laboriosissima veteris, & Mosaici Sabbati iucundissimam quietem corporis, & spiritualem agitamus in Hymnis, & Canticis spiritualibus, & cæteris Dei obsequiis festiuis, quiescentes cum magna libertate spiritus & fiducia ab omni opere seruili, & cū omni tempore, tum eo potissimum, ab omni peccato, perfecte, & spiritualiter Sabbati Mosaici litteram implentes, scilicet manentes apud nosmetipsos, id est diligenter custodiētes animas nostras, intenti Diuinis rebus, non egredientes de loco nostro, quod est, ut Esaias legem Sabbati spiritualiter interpretans, ait, auertere pedem a Sabbato, ne in eo faciamus voluntates nostras, & quod Hieremias ait de lege Sabbati carnalis non tollere onus, siue pondus vllum, scilicet manibus, id est, nō peccare uoluntarie, neque cōscientias ullo peccato onerare. Ergo ut ad propositum redeam, non hoc Thomas docuit, quod Laudator meus docere illū suspicatus est, idcirco non esse tam arctam obseruationem diei Dominici atque erat Sabbati, quia, scilicet lege Ecclesiastica, & non Diuina sancita esset, sed potius quia non haberet religio diei Dominici umbram tantum futurorum bonorū Sabbatismi Christiani, atque cælestis, ut Sabbatum Mosaicum, sed potius imaginem, atque speciem ueram ipsius rei, hoc est, uerū cultum in Spiritu, & ueram quietem a peccato, in quibus illius sempiterni cultus beatorū spirituum, & cælestis, atque perpetuæ quietis imago cernitur, imo secundum spem uitæ æternæ, quædam cælestis Sabbatismi populo Dei relictī participatio. Est alia quoque specialis ratio Dominici celebrandi Domini resurrectio, de qua non est nunc dicendi tempus. Deinde subiungit, non est autem hæc unius beati Thomæ doctrina, sed cōmunis omnium. Fortassis omnes eius ætatis

intellexit, ex ueteribus. n. neminem citauit testem, neque citare, opinor, potuit. Equidem in cæteris aliis recte a sancto Thoma traditis, quæ innumerabilia sunt, quanto potero studio libentissime sequar, in hoc vero, antiquis patribus relictis, non sequar. Venio ad locum de ieiunio quadragesimæ, & 4. temporum, quem ille reprehendens, horum, inquit, constitutio nē Diuini iuris putat esse etiam contra beatum Thomam. Parum videtur hic auctor curare, hanc, quam scripsi sententiam, esse sanctorum veterum Patrum Ambrosii, Hieronymi, Leonis magni, sancti Anastasii Patriarchæ Antiocheni, & aliorum, quos prætereo, usque adeo beati Thomæ sententiis addictus est, ut cæteris anteponendum putet. Quod vero commemorat, disputasse Augustinum aduersus illum, qui ieiunium Sabbati de iure Diuino esse aiebat, merito quidem disputauit. nulla. n. Diuina lex est siue scripta, siue non scripta, de ieiunando omni Sabba-  
 to, ut ille volebat. Quod autem subiungit Augustinus, ego in  
 Euangelicis, & Apostolicis literis, totoque instrumēto, quod  
 nouum Testamentum appellatur, animo id reuoluens, video  
 præceptum esse ieiunium, recte. Deinde sequitur, quibus au-  
 tem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præ-  
 cepto Domini vel Apostolorum non inuenio diffinitum. Verissi-  
 mum est hoc quoque de præcepto Domini in Euangelicis, vel  
 Apostolorum in Apostolicis literis, sed Augustinus præceptum  
 Domini, vel Apostolorum sine scripto traditum, prætermisit,  
 quare nihil hactenus contra Augustinum. Quod. n. ego de ieiunio  
 quadragesimali, & 4. temporum, & quartæ ac sextæ feriæ  
 traditum esse dixi, sine scripto traditum est, quod hic etiam au-  
 ctor de quadragesima his verbis confitetur. Quod vero, in-  
 quit, quidam sancti Patres, ut Ambrosius, dicunt quadragesimæ  
 ieiunium uenisse a Christo, quamquam beatus Hieronymus,  
 & Leo dicant ab Apostolis, non negamus, cum dicamus a  
 Christo uenisse sed per Apostolos, nisi quod semper negat  
 Laudator meus pertinere ad ius Diuinum proprie, quod non  
 primum a Christo per se, sed a Christo per Apostolos tradi-  
 tum sit siue scripto, siue sine scripto. Deinde subiungit, Qua  
 propter beatus Ignatius ad Philippenses non dixit, quadragesimam  
 a Christo uenisse. Quasi uero si hoc dixisset, non uerum di-

xisset, quodque hic idem auctor paulo supra confessus fuerat,  
 Unde, inquit, admonet beatus Ignatius, non esse pro nihilo ha-  
 bendam quadragesimam, neque audet quasi Diuinum præce-  
 ptum obijcere, sed quasi Ecclesiasticum. Ad hunc modum pro-  
 bat sancti Ignatii auctoritate, non esse Diuinum præceptum,  
 quadragesimam ieiunare, quia scilicet monuerit Ignatius, non  
 continere eam, quasi uero non sic in omnibus Christi præceptis  
 fratres nostros monere possimus, & soleamus, ne scilicet pro  
 nihilo habeant Dei præcepta. Præterea, quod dixeram de ieiunio  
 quartæ, & sextæ feriæ Apostolorum canone sancitis, &  
 de causa huius sanctionis aut iam non ita necessaria, aut va-  
 riata, & commutata, & quemadmodum qui iis diebus non ieiunat,  
 ius Diuinum non violaret, nisi ubi ea consuetudo reli-  
 gio esset, ut in Ecclesiis orientis, hoc inquam sic ille refellit,  
 quod statutum quis, inquit, nunc seruat? Ego uero dixeram  
 ubi, & cur seruaretur, item ubi, & cur non seruaretur. Dein-  
 de sequitur. Quale ergo esset istud ius Diuinum, quod ita eua-  
 cuaretur, & disperiret? & hic honor est, quem defensor iste  
 Diuini iuris, tribuit Diuino iuri, censor, & explosor nouita-  
 tum uerborum? Hæc uehemens & ualida illius confutatio. De-  
 inde reprehendit me, quia ita laxè, ut ipse loquitur, accipio  
 ius Diuinum, ut ad illud Apostolorum Canones referam. Ego  
 illum rursus non puto probandum, qui ita anguste ius Diuinum  
 accipiendum credat, ut ad illud mandata, & sanctiones Apo-  
 stolorum pertinere neget, & ita laxè ius Ecclesiasticum acci-  
 piat, ut ad illud mandata Christi per Apostolos data referre  
 non dubitet, affirmans, non esse eiusdem gradus in robore,  
 & firmitate, atque illa, quæ per se Christus mandauit, quod  
 satis, quantum opinor, dogma impium, & profanum esse demō-  
 strauit, in quod, necesse est, incidat, quicumque ius Apostolicum  
 ab Ecclesiastico, eodemque humano, nolit distinguere, ut Lau-  
 dator meus facit, qui non dubitat asseuerare, nullum scripto-  
 rem esse, qui non sic ius Diuinum ab Ecclesiastico separarit, ut  
 ipse separat, ac distinguit. Quod uero dixeram, tametsi nota-  
 da, ac distinguenda essent, quæ sunt a Christo, & quæ ab Apo-  
 stolis tradita, quæ scripto, & quæ sine scripto, tamen non esse  
 ex his ponenda alia iuris Diuini, alia non Diuini, quia idem

Deus sit, qui illa siue per se, siue per Apostolos, siue scripto, siue sine scripto sanxerit. Hæc ille refellens, transibit, inquit, ius Diuinum ad ius omne ciuile, quia hoc idem Deus sanxit licet per homines, sicut scriptum est, per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt. Responderam ego in libro meo priore ad rationem hanc, & quod respondi, refellere debuit, si potuit, aut saltem quod non plura in eo loco contra dixissem, reprehendere. Ergo hæc mea illic. Neque vero qui hoc dicit, idem, ut isti fingunt, iura Ecclesiastica, & ciuilia, iura Diuina esse dicat, quia eius afflatu condita sint, & scripta, qui dixit per me Reges regnant & conditores legum iusta decernunt, cum nemo eiusmodi legislatorum certus esset, dum iura ciuilia describeret, quod Spiritus sanctus per eum loqueretur, ut erat Paulus Apostolus; neque quisquam eorum tunc dicere potuit, in se loqui Christum &c. At negat hoc Laudator meus, & fortasse suspicatur, sic Deum in Iustiniano iustam legem de parricidis, aut furibus condente locutum esse, ut in Paulo legem scribente de cohabitatione fidelis cum infideli consentiente, & sic Deum per Iustinianum, aut Leonem cogitamento sapientem leges dedisse, ut per Apostolum Paulum, aut alios Apostolos. Deinde quasi mecum dissentire, & tamen, inquit, pagina. 19. ipse idem ait, potestatem spirituales a Deo legibus Diuinis constitui, sæculari vero legibus humanis, cum Deus & potestatem, & legum humanarum auctor sit. Verissimum est, quod tunc dixi, imo dixit magnus Basilius, potestatem spirituales a Deo Diuinis legibus constitui, & sæculari legibus humanis, item Deum esse potestatum, & legum humanarum auctorem. Verum ut errare videtur Laudator meus, fortasse suspicans, eodem modo esse Deum auctorem potestatis spiritualis, & sæcularis, sic etiam errare videatur, existimans, eodem modo esse auctorem legis Diuinæ siue Apostolicæ, & humanæ tum Ecclesiasticæ, tum sæcularis, neque distinguens ministros verbi a non ministris. Deinde subiungit, vult ergo, pari modo non solum Ecclesiasticum ius, quod per Apostolos sancitum fuit, quæ admodum ius Diuinum, quod ore Dei habetur expressum, non soluitur. Rursum dicam ego, imo ipse nulla ratione, aut modo vult ius Apostolicum beati Pauli a iure Ecclesiastico beati Clementis,

mentis, aut alterius Pontificis distinguere, vtrumque ponens eiusdem gradus in robore, & firmitate. Hoc vero, quod reprehendit, hac validissima ratione refellit, subiungens, hanc vero doctrinam, quæ sit Catholica, docti iudicent, Ego, inquit, miror, quicumque permiserunt tam crassos errores ad publicum, præsertim si sciebant, hoc illi Romæ non licuisse, sed tulisse repulsam, cum tamen id maxima ambitione, & modis omnibus requireret. Hæc ille. Ipse doctos constituit huius meæ doctrinæ iudices, ego vero etiam Reuerendis. inquiritoribus appello, & per extremum, idemque horribile Dei iudicium obtestor, ut mea hæc, & quæ ille tradit, qualia sint, diiudicent, ne si dissimularint, personam accepisse videantur, & fortasse peccatis, atque erroribus alienis communicare, ac publici scandalum hoc tempore, tum multis postea sæculis, vel contemptores, vel adiutores esse, obtestor inquam, ut cum alia, tum hæc in primis iudicent, quæ inter cætera Laudatoris mei, maioris scandalum, & erroris plena esse videbantur, ut Residuum Episcoporum non esse iuris Diuini, neque quæ in Euangelica parabola boni pastoris continentur, nostris pastoribus præcipi. Episcopos non fieri primum, & immediate a Deo. Manda Christi, & mandata Pauli Apostoli Iesu Christi non esse eiusdem gradus in robore, & firmitate. Legem Moysis non esse proprie legem Dei, ac proinde habere Scripturam Canonicam ex Diuinis, & humanis præceptis epilogem, siue connexionem. Non esse proprie iuris Diuini, id est in Euangelio non contineri, quæ non clare, & prompte ex eo eliciantur. Item eligi Pontificem, non esse aliud, quàm ostendi personam, cui sit auctoritas, & potestas Pontificalis a Deo tribuenda, sicut cum plebs olim Episcopos eligebat. Iam vero quod iterum suspicatur non licuisse mihi Romæ librum meum publicare, quasi improbatum, respondi satis, in principio, cum ad præmium Apologetici illius responderem, cui loco credo, me satisfecisse. Deinde perorare volens, superest igitur, inquit, ut omisissis, quæ falso, aut inaniter disserit, & effutit, cum iam illius fundamenta destruxerim &c. Quæ admodum destruxerit, rationibus, ne, & argumentis, an potius conuictis, ipse viderit, imo potius quia ipse videre fortasse non vult, vos iudicet.

ces videbitis. Postea rem paucis, vt idē ait, perstringens, concludit, si proprie accipiamus ius Diuinū, quod verbo Domini expresso prolatum est, aut inde clara, & prompta sequela deducitur, perspicuum est, modū Residentiæ Episcoporū nō esse de iure Diuino, quia circa hoc nihil, inquit, habetur expresse determinatum a iure Diuino, addere debuit, neque ex eo clare, & prompte deducitur, sic. n. ipse ius Diuinū diffinitur. Sed quid, si nō clare, & prompte, sed obscure, & difficile deducatur, deducatur tamen? an ideo iuris Diuini defuerit esse? certe vt nunc proprie ius Diuinū diffinit, necesse est, dicat, nō contineri proprie in Euāgelio, quæ nō clare, & prompte ex eo eliciantur, quod est Luteranorum dogma, denique hoc est, quod ille, vt ab amicis audio, iactare frequēter solet, non conuenire inter nos de diffinitione proprie iuris Diuini. Fateor, non conuenire, imo neque posse, quādiu nō erunt eadem nobis in Euāgelio æque clara, & prompta, & rursus eadem æque obscura, & difficilia. Hæc. n. est altera diffinitionis suæ pars, aut quod inde, id est, ex verbo Domini expresso clara, & prompta, sequela deducitur. Quare cum nō sit idem æque clarū, & expeditū omnibus, imo neque eidē omnibus horis, fiet, vt nihil sit Diuino iure incertius, inconstantius, & mutabilius, liceatque illius fines humani ingenii facilitate, & difficultate metiri. Melius dixisset, aut inde necessaria consequentia deducitur, vt alii dicere solent, imo idem in priorē libro dixerat, quoniam necessitas cōsequentia non capiat mutationem, neque mutabilis sit, sed perpetua, & semper eadem, at non ita illud clarum, & proptum sequela. Quis. n. nescit obscuram, & difficilem esse Scripturam? opusque esse, scire, ex quibus eā didicerimus, sicut Apostolus ad Timotheū scripsit, & videre, quid audiamus, sicut Dominus apud Marcum locuturus parabolis, Discipulos admonuit, inquit, videte, quid audiat, denique opus esse, accipere intellectum a Domino, sicut Apostolus ait, intellige, quæ dico, dabit. n. tibi Dominus intellectum. Quæ cum in Laudatore meo erunt, si iam fortasse nō sunt, facile spero, intelliget tunc, quod modo negat quia ei non sit clarum, & promptum. Iterum mirari nō delino, si quæ de parabola boni pastoris attuli, nō ei proba-

bantur, cur nihil respondit, tum ad eam parabolā, & ad eius Parabolæ explanationē, tum etiā ad rationē, qua probaui nō admonitionem, vt hic auctor volebat, sed præceptum nostris pastoribus in ea contineri, neque solū ad Christū, sed ad nostrarum quoque Ecclesiarū pastores pertinere. Denique cū ego præsentiam pastorū in tuo cuiusque ouili cum ex aliis locis Scripturæ sanctæ, tum ex epistola Petri prima & sermone Pauli ad Ephesios Presbyteros in illis Euangelicæ Parabolæ verbis vocandi nominatim oues, & ante eas eundi cōtineri, & inde necessario concludi probarim, si hæc mea ratio, & explanatio nō ei probabatur, profecto contrariis rationibus, & Scripturæ sanctæ locis, & auctoritatibus refellere debuit, si potuit, si uero nō potuit, neque potest, cum iterū tamen scribat, de Residentia nihil haberi expresse determinatum a iure Diuino, quid aliud est, quā dicere vt sæpe dixi, quod scripsi, scripsi? Iam ad locum ex prouerbis Salamonis de cura, & studio ouium rationalium, in quo, verbo γῥαστῆς secundū cōsuetudinē Scripturæ sanctæ. & . 70. interpretationē Residentia pastorum expressa esse videbatur, nihil aliud respondit, nisi deridendum est istud, inquit, quod iste inculcat de præcepto Salomonis, agnosce vultū pecoris tui, vt probet assiduā, & personale Episcopi residentia. Deinde subiungit, Impediunt. n. illum sæpe generalia concilia, quæ interdū integros, & multos annos absorbent, quod & nunc videmus, impediunt, & Cōcilia prouincialia, impediunt legationes, impediunt etiam possunt tyrannides aliquorum Principum, quis ergo tunc requirat personale Residentiam? Responderam ego adhuc locū non vno in loco prioris mei libri, sed Laudator meus, cum quæ respondi, confutare nō posset, sua repetit, ne nihil dicat aliud, vt sæpe dixi, & dicam sæpius, nisi tritū illud, quod scripsi, scripsi. Ergo præceptum de perpetua Residentia pastorum nullis causis præsentia, aut absentia consideratis, de præsentia corporis secundū literam tantum accipiendum esse putauit, de quo ego pagina. 33. sic scripseram, vt Thessalonicensibus, & per eos nobis omnibus præcepit Apostolus, si ne intermissione orare, & Colosen. orationi instare, imo Dominus in Euāgelio, semper orare, & nunquam deficere, sic

» credo præceptum esse pastoribus, semper, & perpetuo reside-  
 » re, atque ut illud impleri posse, similiter hoc posse, posse verò  
 » illud, si quicquid fiat, in laudem Dei fiat, sicut Apostolus ait,  
 » similiter iudicandū esse, semper adesse in Ecclesia, atque dice-  
 » cese sua Episcopū, quoties propter magnam eius vtilitatem,  
 » aut præcipuam aliquam œconomiam spirituale ad tempus ab-  
 » esse, necesse est. Vt. n. vniuersa vita hominis religiosi, ac Deū  
 » timentis, & eum in omnibus, & per omnia laudantis perpe-  
 » tua quædam oratio est, sic vtilis ac necessaria pastoris propter  
 » oues suas absentia ad tempus breue, aut nō ita longum, præ-  
 » sentia quædam. Et rursus pag. 43. scripseram præcipere Petrū  
 » principē Apostolorum cunctis pastoribus formam, & exem-  
 » plum gregis in doctrina scilicet, & vita fieri, ad quod tametsi  
 » præsentia pastoris necessaria esse videatur, tamen cum ad vti-  
 » litatē gregis non mediocrē absentia pastoris spectat, cum sci-  
 » licet magnopere interest Ecclesiæ, ad tempus breue, aut non  
 » ita multū abesse, nō quidem dicendū est, solutū esse tunc Epi-  
 » scopū, aut pastore lege Diuina de præsentia eius in diocese  
 » sua, aut ouili suo, sed potius nō esse interpretandā, atque cen-  
 » sendā absentiam huiusmodi, sed præsentiam. Neque. n. accipien-  
 » dum est secundū literam, sed secundū Spiritum hoc præceptū  
 » de Residentia perpetua, sicuti neque præceptum de semper  
 » orando. Sæpe itaque admonui in priore meo libro, causas  
 » mandatorū considerare. Vbi. n. causa nō hæret, vitium nō im-  
 » putatur. Neque. n. semper in literā, sed in Spiritū aspiciendū  
 » esse. Ergo cum Concilia habentur, & abesse pastoribus ne-  
 » cesse est, aut cum legationis breui obeundæ necessitas incur-  
 » rit, nō est solutio præcepti de Residentia, sed œconomia. Mi-  
 » nor. n. causa præsentia maiori causæ absentia cedit. Iam si ty-  
 » rannus adesse prohibeat, multo minus præceptū de Residentia  
 » violari videtur. Præterea, quod ait hic auctor, posse acci-  
 » dere casus, de quibus dubitari possit etiā inter sapiētes, vtrū  
 » personalem Residentiam Episcopi excusent, cum sint hinc in-  
 » de rationes, has ergo determinationes Dominus reliquit Ec-  
 » clesiæ, & pastori vniuersali. &c. Et si vera hæc sint, errat tamē  
 » qui suspicatur, inde effici, vt non sit iuris Diuini Residentia,  
 » quæ cum causam habeat, vbi illa cesserit ad tēpus breue. ma-

» iori vtilitati, nō est solutio præcepti, sed œconomia, & dispo-  
 » satio, sicuti in votis, quæ quidē persoluere generatim, & sigil-  
 » latim Diuini iuris est. Estō determinationes causarum, ac di-  
 » spensationes generatim, & sigillatim ad Pontificē pertineāt,  
 » - vt supra dixi. Venio iam ad extremū locum, in quo, audi ( in-  
 » - quit ) bone lector, vt rideas, cum nō posset hic reprehētor no-  
 » - ster aliter respondere, & tueri prophetica suam sententiam,  
 » - videlicet personale, & assiduā Episcoporum Residentiam de iu-  
 » - re Diuino requiri, hac noua strophā vsus est, esse præsentem  
 » - Episcopum, inquit, duplici modo potest intelligi, vno modo  
 » - corporaliter, alio modo spiritualiter, iuxta doctrinam beati  
 » - Pauli, qui dixit, absens quidem corpore, præsens autē Spiritu,  
 » - ita tandem vt sufficiat personalis Residentia secundum spiri-  
 » - tum, vt saluum sit ius Diuinū, quod exigit personale, & assi-  
 » - duā Residentiam &c. Hactenus ille. Semper videtur hic au-  
 » - ctor velle, nullū præceptum Diuinum ex causa pendere, aut  
 » - si aliquod putat pendere, vt fortasse præceptum de nō iuran-  
 » - do, & de voto soluēdo, & alia huiusmodi, profecto cum cau-  
 » - sa præcepti nō existit, aut certe cedit maiori, vitium nō impu-  
 » - tatur. Quemadmodum ergo non cogitauit præceptum Diui-  
 » - num de Residentia perpetua vnū ex illorum numero posse  
 » - esse quod scilicet nō secundū literā tantum intelligi debeat,  
 » - sed secundum Spiritum? Illud. n. literā occidere, Spiritum au-  
 » - tem viuificare, non tantum in vetere Testamēto, sed interdū  
 » - in nouo locum habere, docuit magnus Athanasius, vt in prio-  
 » - re meo libro memini. Recitabo ergo quæ tunc scripsi, quæ  
 » - quidē Laudator meus stilo suo in longe aliam formā dictio-  
 » - nis vertit, sententiā meam non recte explicans. Sic itaque aie-  
 » - bam pag. 29. Qui. n. nō potest ad tempus adesse, siue propter  
 » - magnam vtilitatē Ecclesiæ suæ, aut aliarum, siue propter præ-  
 » - cipuā aliquam œconomiam spirituale, siue aliam necessita-  
 » - tē, quæ vitari aliter nō possit cōmode, is profecto nō abesse,  
 » - sed adesse iudicandus est, absens quidem corpore, præsens au-  
 » - tem Spiritu. Et pagina. 44. loquēs de Timotheo Ephesi Epi-  
 » - scopo, qui ad breue tēpus a diocese sua abfuisse videbatur,  
 » - sic scripserā, Nō est, inquā, interpretandus abfuisse, cuius ab-  
 » - sentia tam vtilis erat, & necessaria ad ædificationem suā, &



» aliarum Ecclesiarū, sed præsens fuisse, neque violasse præce-  
 » ptum Dei de assidua, atque adeo perpetua pastoris Residen-  
 » tia, sed seruasse potius. Vbicūque. n. ab Episcopo per absentia  
 » suā Ecclesiæ suæ utilitas agitur, ibi quodāmodo Ecclesia eius  
 » adest. Idem dico, cum necesse est ad aliarū Ecclesiarum utili-  
 » tatē, nō ira diu abesse. Eiusmo di. n. absentia utilis quoque Ec-  
 » clesiæ suæ est, dum sic etiā forma gregis sui factus Episcopus  
 » in charitate eum ædificat, docēs iuuandos esse omnes fratres  
 » in Christo, & omnes Ecclesias in vnū vno Spiritu copulari.  
 » Si vero absentia ad tēpus Ecclesiam, aut Ecclesias nō ædifi-  
 » cat, nam perpetua nulla potest, vt ante dixi, non esse Ecclesiæ  
 » propriæ incōmoda, & pestifera, tunc omnino abesse censen-  
 » dus est. Quæ quidem absentia celerata est, & perfidię plenā,  
 » atque charitatis inimica. Hæc mea. Ille vero postquam in for-  
 » mam stili sui vertit, non recte, vt dixi, sententia mea explica-  
 » ta, vt ex comparatione percipi potest, subiunxit, Argutū pro-  
 » fecto, tametsi nouū cōmētum, & a nemine ante excogitatū,  
 » neque vllum magis efficax contra personalē Episcoporum  
 » Residētia. Qui. n. personaliter residere, & corpore præsentes  
 » esse minime curabunt, facile huius tanti doctoris ex Prophe-  
 » tico spiritu pronūtiantis auctoritate freti, illud Apostoli di-  
 » ctum vsurpabunt, & dicent, absentes quidē corpore, præsentes  
 » autem spiritu, & illudetur tandē Residentiæ obligatio.  
 » Hæc ille. Non possum, ita me Deus amet, nō mirari, quōd ho-  
 » mo alioqui sapiēs, ac in literis sanctis multum, diuque exerci-  
 » tatus, & meis legendis, & suis scribendis ita præceptum ferretur,  
 » vt arripiens aliquid mei libri ad refellendum, neque ante-  
 » cedentia, neque cōsequentia cerneret. Sic. n. ego scripserā.  
 » Qui. n. non potest ad tēpus adesse siue propter magnā utilita-  
 » tem ecclesiæ suæ, aut aliarum, aut propter præcipuā aliquam  
 » œconomia spiritalē, aut aliquam aliam necessitatem, quæ vi-  
 » tari aliter nō possit cōmode, is profecto nō abesse, sed adesse  
 » iudicandus est, absens quidem corpore, præsens autem spiri-  
 » tu. Itaque ad præsentiam spiritus cum absentia corporis ad  
 » breue tempus adiunxi magnā ecclesiæ utilitatem, aut præci-  
 » puam aliquam œconomia spiritalē, aut aliam necessitatem,  
 » quæ vitari aliter non posset cōmode, vt adhuc modum cen-

» ferri posset tunc absens quidem corpore, præsens autem spiri-  
 » tu. At meus Laudator longe ab hac sententia discedens, qui,  
 » inquit, non curabunt personaliter residere, & corpore præ-  
 » sentes esse, facile hoc dictum Apostoli vsurpabunt, corpore  
 » quidem absentes, spiritu autem præsentes. Quasi hoc solū sa-  
 » tis ego esse dixissem, abesse quidem corpore, & vtcūque præ-  
 » sentem esse spiritu, quod quidē facile assequi posset, quicun-  
 » que personaliter residere, & corpore præsens esse, minus cu-  
 » raret, ac nō potius adiunxissem propter magnam utilitatem  
 » ecclesiæ, aut præcipuā aliquam œconomia spiritalē, aut aliā  
 » necessitatem, quæ vitari aliter non posset cōmode. Clare ita-  
 » que admonui, idque non vno in loco, præceptū Diuinū Resi-  
 » dentiæ perpetuę non secundum literam solum occidentem,  
 » sed spiritaliter, consideratis causis diiudicandum esse, vt ple-  
 » raque alia diuina mandata, quę ex causis quoque penderent.  
 » Peruenimus tandem ad perorationem Apologetici Laudato-  
 » ris mei, in quo ille zelo inflāmat, cum obsecratione, & ob-  
 » testatione postulat, ne tales libros, qualem meum esse dicit,  
 » in publicum emitti permittant, qui iudicio librorum publi-  
 » candorum præsumunt, vnde, inquit, contentiones, & conuitia,  
 » & turbæ in Ecclesia Dei emergunt. Emerferunt quidem cō-  
 » uitia, at nō ex libro meo, sed ex corde ipsius. Cum itaque ora-  
 » re, & obsecrare se ait, ut tales libri non permittantur publica-  
 » ri, vnde contentiones conuitia, & turbæ emergunt, profecto  
 » se, suosque libellos huiusmodi prohiberi postulat, vnde tan-  
 » ta conuitiorum silua igne linguæ incensa exierit, in meo au-  
 » tem Antapologetico nullum per gratiam Dei conuitium est,  
 » nisi conuitium forte putetur, cum ad cōmunem fratrum uti-  
 » litatem erranti dicitur, erras, & ei, qui cecidisse creditur, cœ-  
 » num est tetrum, in quod cecidisse videris. Præterea, nihil me  
 » ad contentionem scripsisse, satis demōstrat prioris mei libri  
 » peroratio. Cum. n. Laudatorem meum ad retractationē hor-  
 » tans, meminisset, quod Leo magnus dixerat, tunc optime  
 » veritatem defendi, cum opinio falsa a suis auctoribus dam-  
 » naretur, adiunxi idem me omnium minimum facturum pol-  
 » liceor, si quid hic, aut vbicunque alias, & a quocūque errasse.  
 » admonebor, imo habiturum me illi maximas gratias. Ego. m

» omnes ab errore viæ suæ, sicut me ipsum, liberatos cupio, vt  
 » lex charitatis præscribit, quæ non æmulatur, non perperam  
 » agit, non inflatur, congaudet veritati, quæ omnia sustinet,  
 » omnia sperat. &c. Postremo, quod promittit, se non amplius  
 » responsum, sed furori potius cessurum, furiosum. n. me so  
 » let appellare, hoc ego non promitto. Nescit. n. cedere veritas,  
 » tanta eius vis est, quæ, vt sapiens ille in Esdra dixit, super om  
 » nia est. Pro hac SALVIATE vsque ad extremum vitæ meæ  
 » constanter certabo in Christo domino veritatis, cum quo,  
 » & per quem Deus Pater vna cum sancto vtriusque Spiritu  
 » regnat in sæcula sæculorum. amen.

1 5 5 2.

*Excerpta ex literis ad Reuerendum Patrem Magi-  
 strum Sacri Palatii missis.*

CVM ad eum locum responderē, in quo Laudator meus  
 meum de Residentia librum Romæ reiectum fuisse ab iis  
 aiebat, qui probandi libros, antequam ederentur, curam ha  
 berent, promisi additurum me adhuc Antapologeticum  
 exempla literarum, quas ad Reuerendum Patrem Hierony  
 mum Mozarellum Sacri Palatii Magistrum miseram, Ex qui  
 bus intelligi posset, quid illi in meo libro non probaretur,  
 quod quidem nihil eorum esset, de quibus mihi cum Lauda  
 tore meo non conueniret. Descripsi autem non totas lite  
 ras, ne longior essem, sed tantū, quod ad rem faciebat, quod  
 que idem sacri Palatii Magister cū literis meis, Si eas adhuc  
 seruat, recognoscere poterit, & recognitione experiri, vtrum  
 sint hæc fideliter descripta. Ergo quia non patiebatur, vt di  
 cerem Pontificem non proprie, & principaliter facere Epi  
 scopos, quia scilicet in eam sententiam, vt aiebat, accipi pos  
 set, quasi diceretur Pontifex improprie facere Episcopos, ne  
 que rursus fineret ob eandem rationem paulum mutata for  
 ma dicere, Pontificem non facere sua propria, & principalis  
 potestate Episcopos, ego adhuc locum, & ad cætera, quæ  
 illi non probabantur, respondens, & ad tollendam omnem  
 sensus falsi suspicionem loca libri manu mea scripti notans,  
 & indicans sic in meis ad eum literis scripsi.

» Fol. 2. pag. 1. sic scripsi, homo de potestate sua propria nõ pro  
 » mit gratiã, siue charisma, quod dispensat, sed potius quod al  
 » terius est ministrat. Qui cõtra dicit, cum Scriptura sancta pu  
 » gnat, quæ docet dispensationē gratiæ hominibus mysteriorū  
 » Dei ministris a Deo esse tributam. Ita vt huiusmodi potestas  
 » gratiæ diuidenda, siue dispensanda propria quidē sit Dei, cõ  
 » municata vero, siue cõmunis facta cū hominibus. Item fol. 3.  
 » pag. 2. Sacerdos non dicitur potestate propria, & principali  
 » baptizare, quia minister tantum est, ministerium secundum  
 » gratiam implens, sed Deus ipse, Et qui contra dicit, contra  
 » Scripturã dicit, quæ docet non in nomine Pauli, aut Cephe,  
 » aut Apollo baptizari, id est, in virtute, & potestate propria

N

» horum, sed Paulum, & Apollo ministros esse Christi, & vni  
» cuique sicut Dominus dedit. Præterea Episcopatum, & cæte  
» ras omnes gubernationes spirituales charismata esse, ex Pau  
» lo didicimus. Concedere autem Episcopatum officium esse,  
» quod verum quidem est, nolle tamen concedere charisma  
» esse contra doctrinam Pauli est; qui. I. cor. 12. gubernationes in  
» Ecclesia positas inter charismata numerat. Timotheus non  
» est factus Episcopus absque auctoritate Petri, sed vt nostri  
» Episcopi fiunt, qui contra dicit, contra verbum Christi dicit,  
» qui Petro loquens, Pasce, inquit, oues meas. De eo vero, quod  
» P. tua placet, vt Cardinales non mordeam, sanctissime tu  
» quidem facis, & idem semper mihi placuit, imo non solum Car  
» dinales, sed neque ullos fratres, ne, sicut Apostolus ait, si inui  
» cem mordeamus, & comedamus, abinvicem consumamur.  
» Verum hoc Paternitatem tuam rogavi non semel, videres,  
» ne fortasse qui tibi mortuus videbatur, aliis non videretur. Ita  
» ne nullo colore vis, vitia honeste argui? nullum aculeum pa  
» teris relinqui in animis istorum, cum legerint? Deinde, quod  
» errores, quos libro meo refello, profanas nouitates verborum  
» appello, non ideo hoc facio, vt auctorem illorum mordeam, vt  
» tu fortassis interpretaris, sed tum quia dixerit Apostolus de  
» similibus, Profanas nouitates verborum deuota, & alias, Pro  
» fana vaniloquia deuota, tum vt hac graui, & infami appella  
» tione ab huiusmodi nouitatibus homines non solum nostri  
» sæculi, sed posterum detererem. Neque enim qui scribit, existimam  
» dus est suo temporis tantum scribere, sed etiam futuro. Iam  
» cum doceam, iure Diuino sancitam esse Residentiam, tu que,  
» vt affirmasti, mecum sentias, non intelligo, si ita est, cur pati  
» nolueris, quod ita scriberem, Residentiam non esse de iure  
» Diuino, a quibusdam fallaci ratione concludi, nisi forte aliud  
» esse. P. tua putauit, fallacem rationem dicere, & aliud, falsam.  
» Verum hæc inter se non differre, sciunt, qui latine, imo Ci  
» ceroniane loquuntur.

**I**TERVM in aliis meis ad eundem Magistrum sacri Palatii  
» literis approbationem libri mei ad publicandum efflaga  
» ans, & quæ ille improbabat, defendens sic scripsi. Quia quod  
» in libro meo scripseram, Pontifex non facit proprie Episco

» pos, ad sensum reprehensibilem trahi posse, aiebas, libenter  
» propter fastidiosas aures deleui. Pro eo vero, quod deleui, re  
» liqui scriptum, Pontifex non facit sua propria, & principali  
» potestate Episcopos, sed Deus, quod Catholicum est, & om  
» ni occasione erroris, & ansa calumniæ omnino caret. Delere  
» hoc non possum, neque volo, quia hoc scire, & sic credere, at  
» que profiteri, necessarium est, scilicet potestatem dispensan  
» di mysteria, & charismata, cuiusmodi est ordinatio Episco  
» pi, non esse ministri propria, sed Domini nostri Iesu Chri  
» sti. Neque enim in nomine suo proprio homo baptizat, neque  
» ordinat, neque aliud quid Canonicum in Ecclesia facit, sed in  
» nomine Christi, qui dedit gratiam dispensationis. Antichristus  
» est, qui veniet in nomine suo, siue proprio, qui etiam potesta  
» te, & auctoritate sua faciet signa mendacia. Dicam iterum,  
» potestatem creandi Episcopos, & cætera mysteria dispensan  
» di neque Petri, neque successorum fuisse propria, sed Dei  
» tanquam Domini, Pontifici vero commissam tanquam mini  
» stro. Respondi etiam in eadem epistola ad illud de verbo profa  
» ni; & ad locum de Cardinalibus, Hæc enim tria erant, de quibus ad  
» extremum inter nos non satis conueniebat. Cætera satis, vt  
» sunt mea, & illius Reuerendi Patris conscientia testes, imo  
» etiam duo illi grauissimi viri, quos in principio Antapolo  
» getici mei nominavi. Videat ergo Laudator meus, an ne eo  
» rum aliquid, quæ in libro eius corrigenda esse putavi, Ma  
» gistro sacri Palatii controuersum, aut mecum vlla ratione du  
» bitatum fuisse, ex his meis ad eundem literis intelligi aut  
» conici possit, an potius omnia illi probata fuisse, vt fuerunt  
» & quidem cum laudatione. Ecquis dubitat, quin responsu  
» rus fuisset, si quid aliud nobis in contentione relictum esset?

**I**Ate, ne hic meus libellus in iussu superioris e manibus euolasse uideatur, & αὐτοκελεύτως exisse in publicum, & inde fortasse calūniam iterum subeam, approbationem Reuerendi Patris Raphaelis Sannini in hereticam prauitatem inquisitoris literis, & manu eius consignatam describendam hic curauit, ut sicut Apostolus monet, caute ambulemus, non tanquam insipientes, sed tanquam sapientes, quoniam dies mali sunt.

**E**GO Frater Raphael Sanninus inquisitor hereticæ prauitatis hunc librum perlegi, nec aliquid, quod sit contra ueritatem, nec contra sanctam Ecclesiam Romanam catholicam continere cognoui, sed omnia ad lectorum utilitatem, & animarum salutem pertinentia, & ideo imprimi potest, & debet.